Smithsonian
Institution
Libraries

Purchased from the

CULLMAN ENDOWMENT

[HSS93CH]

b/27

DE ANIMA
Brutorum
COMMENTARIA

Curiosum nobis Natura ingenium dedit.
Seneca de Vita Beata Cap. 32.

QL
785
S7255
1776x
SCAMRBG

NOBILISSIMO VIRO FLORENTIAE PATRICIO

STEPHANIANI ORDINIS EQVITI BAJVLIVO

DE MARCH. CALCIONIS TITVLO NVNCVPATIS

SIGISMVNDO LOTTERINGHAE GENTIS

CVI VETVS A TRAMITE CONTERMINO

DALLA STVFA

AVITVMQ. COGNOMEN VBIQVE PERCREBRESCIT

REGIAE CONSVLTATIONIS PRO HETRVRIAE

PRINCIPE

EX OPTIMIS DELECTO A SECRETIS

GERMANAE PIETATIS VIRTVTVMQVE CVLTORI

ET EXIMIO PATRIAE ORNAMENTO

P. FRANCISCVS M. SOLDINI A. S. T.

EX ORDINE CARMELITAR. DISCALCEATOR.

FLORENTINVS COMMENTARIORVM AUCTOR

PRO MERITIS DOMINO SVO DEVINCTISSIMVS

DEVOVET, OFFERT, INSCRIBIT



COMMENTARIORUM RATIO ATQUE CONSILIUM.

Acilè nemo eſt, qui in rebus a ſe ſcribendis, atque in vulgus etiam edendis non eum velit accurate morem conſectari, quem ratio, & ad litterarum diſciplinam mens probe inſtituta cuique perſuaſerit, & doctorum hominum conſuetudo conſecraverit. Etenim quotuſquiſque eſt, cuius ingenii vis & perſpicuitas illud non ſtudeat reliquis anteferri, cujus veluti ductu multò facilius haec percepta teneantur? Itaque non rerum ordo ſolum, quum inter homines colloquimur, aut animi ſenſus ſcribendo pandimus ſervetur oportet, verùm etiam quis

qualisve ordo ipse futurus sit patefacere jure optimo debemus; nisi omnem rationis decorisque curam a nobismetipsis abjeciisse videamur. Quapropter cogitanti mihi saepenumerò de Brutorum anima elucubrandis Commentariis otio aliquatenus sedulo intersse, haud abs re profectò videri poterat aliquid seriò praefari; unde Operis pertractandi methodus luculenter constaret, & quod illius condendi fuisset consilium maxime unicuique innotescceret. Utrumque sanè appositè concinneque factum! Attamen quod postremum est caput multò uberioris pretii atque sermonis mihi diù multumque deliberanti continuò fore persensi, ut primum litteris hisce exarandis manus, & ingenium admovere decrevi; & alterum minùs habendum esse sum ratus. Itaque Operis rationem multò breviori primùm sermone versabimus; deinde praeconceptum illius scopum fusiori dissertatione, ut par est, absolvemus.

Optimae methodi laudem nihil certè aptius conciliat; quum syntheśim adhibent rerum difficillimarum tractatores; quàm si ad topica quaedam veritatis inveniendae genera confugiant, unde verum ex veris ritè presèque inferatur, & eadem inter se arcto vinculo catenae instar nectantur. Porrò hujusce Problematis, quod solvendum sumus adgressi, statum (ut vulgò dictitant inveteratae Scholae sectatores), quaedam inconcussa principia a dubitatione ad certitudinem transferunt, eique clarissimam lucem conciliare valent, quae praetermitti a nobis nullatenus debent. Horum primum quod ad caetera invicem inferenda viam quodammodò sternit, totum in eo situm est, ut ostendat generis humani omnium gentium, & temporum consensum

ſum evidentiſſimè ſuffragari, quùm de immateriali Brutorum omnium ſenſu, & cogitatione res eſt, & diſputatio. Verum hujuſmodi ſermocinandi materia, quùm ampliſſima per ſe ſe ſit, neque facili negocio, omni procul confuſione ſemota, intra breviores fines coercenda, hunc idcircò ſupremum Commentariorum noſtrorum locum in tria priora eorumdem Capita ſatis aptè partiemur. Quod prius occurret, Philoſophorum omnium dicta & ſententias de belluarum anima ſincera fide complectetur: ſecundum perſpicua exhibebit demonſtratione deinde omnium populorum doctorum indoctorumque firmam, & in omnes aetates pervagatam opinionem; unde ſuperiora magis magiſque firmentur: tertium denique acrem uberemque proferet ratiocinationem, ex qua pateat quid illis Brutorum adverſariis eſſet praeſtandum, qui eorum animam omni ſenſu, & cognitione carere conantur adſtruere, aut verbis potius imperito cuivis fucum facere.

Ad veritatis nexum non minus pertinere poſſe exiſtimavimus, quae quarto hujuſce Operis Capite fuimus ſolerter, quantum ex Phyſiologia potuimus, perſequuti. In eo videlicet animae ſentientis vim, & quid ſenſus nomine intelligi debeat enucleavimus: atque huc ſpectare opus eſſe duximus irritabilitatis leges, earumque ad ſenſum generandum relationes, quae ut in humana ſic & in brutali machina quapiam obtemperantes mirum in modum inveniuntur. Concors praeterea eſſe ea conſpicitur doctrina omnis, quae quinto comprehenſa Capite fuit, quùm nempè ex Brutorum vocibus, ejulatu, aliiſque doloris aut voluptatis argumentis veram illo-

rum ſenſationem manifeſtò evinci poſſe ſtatuimus. Pro ſenſationis ejuſdem in belluis omnibus veritate admodum facere oſtendit quod ſexto demùm Capite elucubravimus; illarum videlicet phantaſiam, memoriam, judicium, ratiocinationem; quae ſane ad poſtremi Capitis materiam, atque ad totius Operis complementum veluti manuducunt. Igitur illud tandèm veras probat in belluis appetitiones, eaſque reipſa antequam velint quidpiam, aut nolint, deliberationem, ac conſilium adhibere ſuadet.

Hiſce itaque pro eorum dignitate expletis topicorum generibus, & veritatis reſeratis fontibus, fatis ſuperque muneri impoſito me demum feciſſe jure laetabor, atque animam Brutorum contra eorum oppugnatores ſuo me nativo honori reddidiſſe quiſquis exiſtimabit, poſteaquam adornatas haſce vindicias lectitare, & ſerio animadvertere non fuerit dedignatus. Atque haec pro Brutorum genere univerſo innuiſſe ſufficiant: deinde vero de noſtrorum Commentariorum peculiari conſilio uberiori ratione quae hic conſequuntur.

Inanis fermè meo judicio fuiſſet quaecumque, ut ut expolitior, de Brutorum anima diſceptatio, niſi quid amplius, & ponderis multò gravioris additum eruditis philoſophis viſum eſſet, quàm tot tantaeque illae fuerint hactenus concertationes initae, eaeque certè abſque cumulata gloria confectae. Hujuſce incommodi cauſſa; quae dubio procul in Philoſophia maximi eſt momenti; quae ſit, & huic demum qua ſit ratione medendum, propoſita nobis bina illa ſunt, quae circum tota modò verſabitur oratio. Porrò plura obrepunt diſputantium animis, a quibus niſi accuratiſſimè caveant, equidem non

ſen-

sentio quid homini praestantis ingenii, & rerum magnarum & sublimium contemplatione distento deterius possit accidere. Aut enim Tullii monito (*a*): *Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus;* aut pathematibus aditum non intercluſum fortè patimur, atque ea amore, aut odio praeconcepto potius, quàm germano in veritatem candore decernimus, quae non affectu unquam, sed praeclara tantum mente forent absolvenda Hinc inaniſſima illa, & peſſima omninò Philoſophorum aemulatio; hinc tenax invicèm contradicendi & calumniandi ingenium; inde etiam mentis perperam inſtitutae in pleriſque imbecillitas cuilibet audacter adſentiendi, & abſque ullo rationis examine, tanquàm rato & probato, plaudendi; dummodo inconſulta quaedam philoſophandi malè vigeat inſtitutio, quam ineunte aetate ſuſcepere, neque ab eorum animis aboleverunt: quae profectò omnia ad vires mentibus veritatem inquirentibus ſubminiſtrandas augendaſque imparia eſſe prorſus, temperantiorum Criticorum ſancivit conſenſus. Ab utroque ergo hujuſmodi rationis veluti morbo, tanquam ex Equo Trojano prodiiſſe viſae ſunt tam diſpares de Belluarum natura ſententiae, & tam effraeni libertate diſputatum huc uſque fuit, ut merito philoſophia; quae per ſe ſe ſublimis, & egregia majeſtate pollet; ſub hac tamen larvata futilis ſapientiae forma pudere debeat turpitudinis ſuae, quam ementito ſolum nomine aperire nonnulli contendunt, & temere Philoſophiae ipſi adjudicare alii non timent. Iſti ergo qui de animantium indole univerſa diſſidiis & quaeſtionibus impleverunt, & pro uno contra-

(*a*) *De Legibus lib. II.*

tradicendi lubito adverſas invicem commenti ſunt opiniones, & academias, tantum abeſt, ut philoſophorum appellatione digni habeantur reipſa, ut contra maxima etiam eripuerint inſtrumenta, vel ornamenta Philoſophiae, vel potius totam Philoſophiam everterint funditus, ipſumque hominem (ſi fieri potuiſſet) orbaſſent animo; adeo ut difficile ſit de temeritate eorum, perinde ut cauſa poſtulat, dicere.

Attamen etſi quamplures veterum Philoſophorum erraſſe turpiter conſtet, eorumque abſurda de animantium natura quae tradiderunt placita, ut rationi, ſic etiam Religioni Chriſtianae adverſari plurimi invicte oſtenderint celeberrimi impugnatores, nulli vero pejus in litterarum Republica turbas excitaſſe novimus, & Viros inſuper eruditos aequi bonique conſulentes in teterrimum maximumque diſcrimen adduxiſſe legimus, quam qui cum falſa philoſophorum gloria, ſeu mavis ſtulta plane jactantia, floruere olim Ariſtotelis ſectatores; quo tempore litterae in Europa e barbarorum coeno in priſtinum decus a Monachorum coetibus habitae dictaeque ſunt reſtituraе. Inde vero, favente praeſertim univerſali pene rerum meliorum ignoratione, caepta eſt agreſtis illa philoſophandi in ſcholis ratio (a qua Scholaſticorum nomen deinde manavit) cuius latiſſima lapſu temporum propago, & incrementa cum noſtra ferme aetate coaequantur. Praeter infinita; quae recenſere hic a noſtro abeſt quam longiſſime inſtituto; incongrua, ridicula, obſcura, atque vulgaria, haud infimum locum occupat quae ab iis (perbelle quidem!) recens inventa, & acute detecta prodiit de Brutis Philoſophia, cuius in primi Capitis

tis limine notionem explanabimus. Quamvis autem neque ipsos quid dicerent intelligere gravis suspicio subsit; aut saltem pleraque ea demum debuisse animo tenere probe concepta (si hominum cum ratione consentientium munus vellent obire) quae superiorum temporum Philosophi omnes excogitarant, validis utique persuadeamur argumentis; quae tempestive nobis erunt expendenda; factum nihilominus fuit, ut dominante rerum annorumque vicissitudine ab uno Cartesio acutissimo caeteroquin Galliarum philosopho, ut vulgo etiam innotescit, novissimi Systematis sui circa belluarum animam propagatione Peripatetici omnes ab immerita philosophicae laudis possessione aut dejicerentur omnino, aut non parum deterrerentur.

Eidem nihilominus fortunae, cui Peripatetici antea, obnoxiam fuisse Cartesianorum sententiam facile est enarrare; quemadmodum, si quae alia etiam inconsulto excogitata hypothesis in litterarum lucem deinde advenisset, disparem casum haudquaquam fuisset experta. Equidem affirmare jure non vereor, quod unanimi Criticorum sensu jamdiu est probatissimum, non id plausibile nec unquam fore interiturum, quod imperitorum adclamationibus, & vulgi voluntate, aut furore faventibus in aliquam umbratilem veri dignitatem attollitur. Vulgi autem appellatione non eos solum hominum coetus mente persequimur, qui ab omnibus rudiorum etiam litterarum elementis remoti, atque egestatibus saevientibus conflictati id tantum perpetuo cogitant, aut quod suarum illiberalium artium opera ad famem depellendam maxime conferat, aut quod caeteri similes, quibuscum

sae-

saepe versantur, stupida fide a majoribus acceptum, atque inter ipsos late pervagatum invicem sibi persuadeant: non hujus generis inquam homines tantummodo, verum etiam ad ejusdem vulgi rationem eos merito pertinere juxta sapientiorum suffragium existimavimus, quorum characterem presse paucis fuimus paulo ante complexi. Verum ne haec forte tanquam a mea privata opinione prodire videantur, atque ut magis recentium Commentariorum scopus legenti pateat, en quae brevioribus animadversionibus exponi necesse fuerant.

Neminem refragari posse ambigimus, virum philosophum atque in ratione utenda castigatum, temperantem ex iis unumquemque debere philosophari notionibus, quas plerumque circumscriptis naturae viribus sapientiores valeant comparare. Tota quippe, quanta late patet, ea quae omni aetate humano potita est ingenio, sive sapientia, sive eruditio, idearum praesentium e sensibus profluentium ambitu continentur: ac quisquis propterea in scientiis persequendis excellere jure optimo cupiat, & nova in dies sibi eruditionis incrementa conciliare, contentus is esse debet ita mentem excolere, ut tamen idearum earumdem fines haudquaquam temere audeat transilire. Quapropter, quum Brutorum indolem expendendam suscepserimus, nemo eorum, qui philosophorum nomine diu indoctis impositi, & ab ipsarum notionum terminis simul digressus saepe hac in re est, ea nobis poterit proponere, quae omnem humanarum cognitionum praesentium veluti circulum libere nimis transgrediuntur, nisi pro impostore a sapientioribus sit traducendus.

Qui-

Quicumque ergo laſcivientia in Philoſophia ingenia, & nimium phanatiſmi aeſtu ferventia jure meritoque, ut philoſophum decet, adſpernatur, univerſos illos perinde Auctores praecipitur a ſe repellere, qui de Brutorum anima admodum fidenter diſſeruiſſe, nec juxta idearum praeſentium lumen philoſophandi rationem metiri viſi ſunt; cujuſmodi fuiſſe ad noſtra uſque tempora conſtabit opportunius quotquot hiſtorice fuimus alibi perſequuti, qui animantium naturam pro eorum lubito, & novitatis amore potius, quam inquirendae veritatis zelo, futilibus diſputationibus exhibuere. Quamvis autem ignoret nemo quot litteris incommoda attulerit novae hujuſmodi, & mortalibus omnibus incomprehenſibilis ſapientiae evulgandae ambitio; niſi qui in litteraria hiſtoria hoſpes plane ſit atque jejunus; attamen non idcirco putandum eſt, eruditos homines, & in ſcientia adſequenda ſobrios non continuo novitatibus ejus generis totam obſiſtendi eorum vim oppoſuiſſe. Eſto commenta ſupra memorata de Brutorum noſtrorum anima ſub inventionis initium cum plauſu aliquo fuerint excepta: verum quum falſa, & inania quaelibet temporum lapſu deleantur, & per ſe ſe pereant, mirum haud eſſe fatendum nobis eſt, totidem ipſa modo ab omnibus deſpectui habita, & uno annorum tranſitu elanguiſſe.

Haec profecto cum aliis pluribus comparari rite poſſunt, quae a Pythagora de Numeris, & Metempſycoſi; quae a Platone de Ideis aeternis; quae a Scholaſticis de Forma ſubſtantiali; quae a Fluddo atque Cudworthio aliiſque de Anima mundana; quae a Mallebranchio de Cauſis occaſionalibus; quae a Leibnitio de Harmonia preſta-

ſtabilita; & quae demum a Veteribus ſimul, & Recentioribus Philoſophis incredibili pene opinionum varietate, & magna inter eos contentione ſcripta & poſteritati commendata fuiſſe memoriae proditum eſt vulgatiſſimae. Quis vero tandem ex ſapientioribus haec omnia noſtra tempeſtate in pretio habeat, aut quis modo ſuorum Auctorum veſaniam potius non doleat? Quis ſane mentis miſerandam eorum Philoſophorum viciſſitudinem ideo non admiretur, quod ex tot tantiſque ſyſtematum caſibus facili negocio queat inferri; quidquid nimirum a definita perceptionum humanarum ſerie abeſt penitus, idipſum ſponte veluti ſua concidat, & pereat neceſſe fore?

Quiſquis propterea pecudum animas philoſophice expendere molitur, ac rite argumentari cogitat non ſolum perperam praeconceptis ſe ſe debet expoliare judiciis; & vulgarium Philoſophorum abſque ſufficienti fundamento placita ab ſe abjicere, verum etiam juxta praeſentium cognitionum lumen rationem ita temperare, ut ex iiſdem bene compertis cauſſis, aut ex ſimilibus, eoſdem aut ſimiles effectus inter arguendum ſcite derivet; quemadmodum ex iiſdem aut ſimilibus, qui in natura patent, effectibus eaedem aut ſimiles cauſae ab illo inferantur oportet.

Itaque illa nobis de animantium omnium natura Commentariis hiſce fuſe differentibus tanquam indubia, & certiſſima haberi neceſſe erit, quae clara demonſtratione ex ideis praeſentibus ducta ita ab omnibus intelligi poſſe confidimus, ut nemo futurus ſit iiſdem refractarius; niſi forte qui prima Litterariae Reipubblicae fundamenta ſubvertere conatur, aut in ſua obfirmatus

ſen-

ſententia ob mentis praeoccupationem argumentationis noſtrae vim ſentire detrectet. Vel ipſe Carteſius animae belluarum infenſiſſimus hoſtis perſpicuam diſtinctamque rerum perceptionem, tanquam tutiſſimum comparatae veritatis argumentum, habendum fore, valida ratiocinatione conficit (a). Utrum vero inter innumeros ferme de intima Brutorum ſubſtantia Scriptores; qui ſibi blanditi fortaſſe fuerint, eorum operationum omnium ſtatuiſſe principium; extiterint nec ne ulli, qui eam veritatis teſſeram in ſuis diſputationibus protuliſſe duci jure valeant, cuilibet locus eſt ambigendi, neque inde omnes de eadem veritate ſcrupulos abſtuliſſe viſi ſunt. Porro quotquot Veterum, ac Recentiorum fuerint huc uſque circa animantium naturam opiniones ad tria genera referri, & cohiberi tandem poſſe mihi videor. Scholaſtici alibi commemorati belluas ad tenuiſſimum quoddam ſubſtantiae genus attinere, qua eorum anima conſtaret, quaeque medium inter craſſiora corpora ac ſpiritus locum teneret, omni dubio procul ſunt opinati; quibus etiam acceſſere deinde Claudius Berigardus (b), Cardoſus (c), Baco de Verulamio (d). Petrus Gaſſendus (e), Maignanus (f); quam deinceps opinionem paullo veroſimiliorem effeciſſe ſibi commentus eſt Andreas Rudigerus (g), qui ſub initium

(a) *Meditat. IV. prope finem.*
(b) *In Circulo Piſano pag* 602.
(c) *Philoſoph. liber. Lib. V. quaeſt.* 5.
(d) *De augmentis ſcient. Lib. IV. cap.* 3.
(e) *Phyſic. Sect.* 3. *Lib.* 3. *cap.*
(f) *Philoſoph. naturae cap.* 20.
(g) *Apud Buddeum in Hiſt. Philoſoph. pag.* 5.

tium ſaeculi hujus res philoſophicas novo auſu pertractavit. Hic potiſſimum in ea fuit perſuaſione, diſtinguendam eſſe nimirum Materiam a Corpore: Corpus enim eſſe hoc contrectabile, ſolidum, iners, caeteriſque affectum qualitatibus autumavit; illam vero puram putamque eſſe extenſionem, primumque, ut ajunt, ſubſtramen quum corporum, tum ſpirituum, & animorum. Ex quo tamen pervium eſt eruere, pecudum nempe animas, quemadmodum & humanas, ſuam habere reipſa extenſionem, quacum vires activae atque vitales conjunctae in animantibus omnibus vigeant. Carteſiani deinde omnem a belluis animam abſtulere, eaſque machinas tantum decrevere, eo naturali inſtructas artificio, ut abſque ulla cognitione motus ſuos perſolverent univerſos. Placitum hujuſmodi, ut conſtat, primus, poſt Antonianam Pereiri celeberrimam Margharitam anno 1554. in vulgus editam, propagaſſe dicitur Carteſius; in cujus opinionis foedere poſtmodum ſe ſe obſtrinxere Le Grandius (*a*), Condemojus (*b*), Dillyus (*c*), aliique ſilentio pro brevitate praetereundi. Qui vero demum uberrima laudandi undique gentium eruditione a nobis erunt, iſti profecto pro ea pecudum, quae dicitur, *Spiritalitate* ſtetiſſe luculentiſſime patebit. Haec tria igitur diſputantium genera cuique debent ſapienti viro, nullaque affectuum dominatione preoccupato, videri ſane vulgaria, neque inconſulto probanda reiiciendave, antequam ſingula examini ſubjecerit acerrimo, & ad veritatis leges conformato.

Quid-

(a) *De privatione ſenſ. & cognit. in Brutis.*

(b) *Epiſt. ad Vir. Relig.*

(c) *De Anima Brutorum.*

Quidquid iraque a nobis ingenti ſtudio, ſemperque haud in ancipiti conſtitutis, abſolutum denique fuit, ad graviſſimum hocce Commentariorum conſilium referri debere cenſuimus; ut nimirum ea tantum ad rem deligerentur, & opera etiam noſtra fierent meliora, quae ſanioris judicii legibus, & philoſophicae methodo magis eſſent conſentanea. Totum ergo ſuſcepti Operis momentum praepoſitis hactenus Critices animadverſionibus inniti videbitur: quippe Brutorum anima immaterialis, ſpiritualiſque ſubſtantiae definietur: quod etſi ab aliis praeſtitum fuiſſe laudatiſſimis Philoſophis non ignoremus, attamen ex iiſdem fontibus eos non uſque adeo ſuum provexiſſe opus, quemadmodum a nobis eric perficiendum, cauſa ipſa, quam illico defendendam aggredimur, ſatis ſuperque monſtrabit.

Neminem vero arbitratum vellemus, a nobis de poſtremis ſcriptoribus illa dicentibus iis idcirco aliquid famae aut promeritae ſibi gloriae detractum forte fuiſſe. Sua namque quibuſque laus, ſua unicuique ſapientia per nos illaeſa tutaque perſeverat; neque facile ii ſumus profecto, quos veſana carpendi honoris ambitio ita perperam fallat, faſcinet, atque depravet, ut ex aliorum contemptu, caſibus, aut patefacta imperitia noſmetipſos attollere iniquo plane conſilio cupiamus. Sane quicumque belluarum ingenium eouſque magnifacere ſtuduerunt, ut quidquid ipſi elucubraverint cum noſtra opinione ſit omnino conferendum, ſatis eos perfeciſſe affirmamus, unde a doctis diſcretisque hominibus tributam pro meritis commendationem nobiſcum ex aequo diviſam ſibi vendicent, ac tueantur. Caeterum eorum nullus

no-

nobis perinde ſuccenſere merito debet, ſi quae in una docentur diſciplina aut jejune, aut neque tam luculenter, quantum a nonnullis deinde fieri quandoque poteſt, & fuſe, & graviter, & perſpicue multo magis, ſive a nobis, ſive ab aliis permultis diſputata litteris conſignentur, quae ampliorem dubio procul efflagitant per ſeſe doctorum virorum ſolertiam, aciem, atque ſedulitatem. Quiſquis igitur placita in philoſophia omnium prior acute excogitat, & ſcite tanquam unicuique ſapienti probanda demonſtrat, ſua quidem laude non caret; qui vero eadem illuſtrare, atque in praeclarius veritatis lumen erigere nititur, multo magis expectare ipſe valet ſibi plaudentes philoſophos, ac de omnigena ſcientiarum copia optime meritos.



CAPUT I.*

Peripateticorum circa Belluarum animam ſententia cum unanimi omnium Philoſophorum conſenſu comparatur, qui eam ſpiritalem eſſe conſtanter faſſi ſunt.

Ubitare, nequimus, neminem eſſe in hiſtoria Philoſophiae, quae non mediocriter aetate noſtra colitur, verſatum hominem, & eruditum, cui non aeque de anima Brutorum ſenſitiva tantum comperta jamdiu fuerint quorumdam Philoſophorum; Peripateticorum autem prae reliquis; dogmata, & quid animo iis vocibus ipſi opinarentur haud probe reſciverint. Hoc ipſum nihilominus methodi noſtrae ratio ſibi vendicat haud eſſe inpraeſens nobis tacitis praetereundum, contractamque ſaltem definita oratione illius hiſtoriam efflagitare jure videtur. Ea enim belluarum animae eſt natura, ſenſu dum-

dumtaxat praedita, atque omni rerum cognitione, quae rationalis dicitur, orbata ab eaque penitus sepositа, ut materialem ipsam vocarent, atque tuerentur, ejusque functiones occulti nescio cujus conatus impulsu, quem instinctum appellabant, mira peragerentur constantia. Ea nimirum necessitatis lege Bruta innato pondere in invariabilem operationum seriem eorum Philosophorum placito ferebantur, ut ejusdem instinctus ductu, non libera voluntate, seu electione, quid cujusquam esset accommodatum ingenio, & voluptati appeterent, & quod sibi ex adverso noxium atque molestum repudiarent. Mira profecto ad subtilia invenienda ingeniorum feracitas, unde in rebus ad decernendum multo difficilibus aliquem sibi, caeterisque eius aetatis philosophandi aditum, rite nec ne, patefacerent! Caeterum ipsam sensitivae animae naturam, quam in belluis cujusque generis latentem omniumque operationum ministram ducemque adstruebant, exquisito idcirco doloris voluptatisque sensu donari profitebantur, quod in eadem princeps existeret terminus, non omnis quidem corporeae concretionis expers, ad quem tamen infinita pene membrorum irritamenta, nervorum convulsiones, sanguinis, aliorumque excurrentium spirituum circuli perniciissimo motu perciti, & si quae sunt alia ad sensum generandum Anatomicorum solertia, & judicio proposita, constanter referrentur. Unus pro omnibus Peripateticis D. Thomas dictis fidem faciet, qui pluribus (*a*) utitur ad illud ipsum suadendum argumentis; quae certe nec magni sunt momenti ut Bruta ab Automatis natura vindicentur (quomo-

(a) *Lib. II. contra Gentes cap. 63. & seq.*

modo Recentiores nonnulli deinde sunt opinati), neque verum tanti sunt profecto facienda, quanti hactenus caeca atque inconsulta philosophandi ratione feciſſe visi sunt quotquot, tanquam pro aris, & foci, pugnaturi, sensitivam animantium vim absque ratione, & consilio, acie veluti instructa, in scholas, & in vulgus utut ab ectissimum tumenti magisterio sparserunt. Quapropter decepti potius sunt, & falluntur etiam, si qui adhuc è veteris Philosophiae coeno supersunt, in re graviſſima, nec eos ab errore valet revocare nisi castigatior, magisque ad discernendum & ad probe arguendum composita methodus, cujus legibus modo tota animi contentione aggressi sumus obtemperare. Aquinatis testimonia ad verbum, aliorumque Peripateticae Sectae Scriptorum dicta ad sensum in Belluis decernendum facientia, non lubet exscribere: celebre namque, atque evulgatum est adeo quid laudati omnes senserint perpetuo Philosophi, ut supervacaneum vere sit verbis ei placito robur addere, quo nihil inter Scholasticos viguit antiquius, magisque inconcussum.

§ 2. Caeterum, si vera sancte fateri debeamus, iniuria, & quidem ingens, venerandae philosophorum antiquitati irrogatur, si Peripateticis solum, ceu primis rei inventoribus, de anima sensitiva doctrinam velimus adjudicare, & alios caecutiisse hac de re Sapientes omni aetate arbitremur; aut ea saltem minime in Brutis pervidiſſe miranda plane, quae ubique facti evidentiam efficiunt, unde pro ingenioso, & subtili eorum more apodictica argumenta conflarent, de quibus nefas esset, atque irrationale prorsus dubitare.

§. 3. Neque de vetuſtioribus ſolum multo ante inſtitutum Peripatum philoſophis res eſt nobis, & inquiſitio poſtmodum attenta cura facienda, verum etiam licet hic potius animadvertere obiter, Brutorum animas ſentiendi facultate inſtructas, quum noſtri tradiderint majores in philoſophia praeceptores, non id tam diſſertationum vi, quam ab ea, quae ſemper manſerat inſederatque firmiſſime omnium gentium animis de iiſdem belluis opinione, firmaſſe. Attamen longioris otii, & ſedulitatis momentum iſta requirunt, quae propterea in alium ſermocinandi locum opportunius remeare curabimus: quare nunc venio ad antiquorum noſtrorum ſcripta evolvenda, unde longe meliorem, quam quae Scholaſtici olim, & quae contra alii nonnulli docuerint hoc ſaeculo Philoſophi, ſenſum exſpiſcari valeamus.

§ 4. Quae itaque modo a ſummis ingeniis exquiſitaque doctrina philoſophis de Brutorum natura rectius (quam plures alii) promoventur, litteriſque conſignantur, eadem pene, licet ſuboſcura, & aliquatenus contorta, pleriſque ex vetuſtis ſapientibus innotuere, quibus & magnum fuit ingenium, & magnarum rerum ſcientia comparata. Iſti itaque conſulendi, expendendique attente nobis erunt inpraeſens, qui quum liberales artes, ipſamque liberalium artium procreatricem quamdam, atque parentem philoſophiam impenſe coluerint, tum vero germanam eruditionem, elegantiamque doctrinae cum ſolida, ac diluci-da diſſerendi ſubtilitate conjunxerunt.

§ 5. Inter hoſce igitur, qui eandem de belluarum indole perdifficilem ſibi ſpartam adornandam ſuſcepere, quan-

quantum memoriae proditum eſt, princeps habetur, omniumque ſapientum Scriptorum non aetate ſolum, verum etiam tum divina, tum humana Aegyptiorum ſapientia celebratiſſimus Moſes, Pentateuchi Auctor, cui deinde alii adjungendi ſunt veteris praeſertim Teſtamenti Auctores Supremo Numine afflati. Horum tamen luculentiſſima teſtimonia ita mihi probata, & multorum & magnorum virorum elucubrationibus optime comperta adeo ſunt, ut in alienum a veritate ſenſum nequeam ſtudio partium lubens ſcienſque pertrahere: niſi per ſummam injuriam iis refragari velim praeclariſſimis Scripturarum Interpretibus, qui de rebus Eccleſiaſticis multum benemereri ſtuduerunt.

§ 6. Itaque Moſes, quum exorditur totius orbis alluvionem, quae univerſis, quum primum vero viventibus, perniciem allatura erat extremam, Deum ita Noemum alloquentem inducit (a): *Ecce ego adducam aquas diluvii ſuper terram, & interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitae eſt ſubter coelum.* Porro moroſi, & nimium cavilloſi ingenii haberetur argumentum, ſi Moſaica ea verba *omnem carnem* ad ſolos homines, ſecluſis animantibus Brutis, contra apertam Scriptoris mentem coarctarentur: alia quippe Capitis eiuſdem initio pronunciata omnem ablegat ſophiſticem, atque decernit, omnis carnis vocibus tam belluas, quam homines fuiſſe comprehenſa: *Delebo hominem*; inquit Deus, *quem creavi a facie terrae, ab homine uſque ad animantia, a reptili uſque ad volucres coeli; poenitet enim me feciſſe eos.*

(a) *Geneſeos cap. 6. verſ.* 17.

Patet igitur evidentiſſime, vitae ſpiritum, ut in hominibus, ita & in Brutis omnibus ex aequo vigere.

§ 7. Aliam inſuper, & quidem multiplicem ejus nominis *ſpiritus* poteſtatem inter Scripturae Sacrae peritos circumferri ſolere, non me utique latet; quomodo inter caetera *ſpiritus* legitur *procellarum* (a); qui profecto ſubſtantias ſpectat omni vita carentes, quae animantium ſolum propria ſit, & aliud ab hac longe diſcrepans innuit. Attamen inſolens non eſſe norunt omnes Eccleſiaſtici id genus Tractatores, aequivocas ſaepe Scripturae voces a contextus examine omnino pendere, ut quis unicuique loco ſenſus accommodari legitime valeat, optime percipiatur. *Recordare praeterita*, ita ad rem monet Origenes (b), *audi praeſentia, quae ſequuntur adverte. Confer priora poſterioribus, & divinarum virtutum magnificentiam contemplare.* Quare Sacrarum Litterarum cultoribus neceſſum eſſe docent Eccleſiae Patres, tum in legendo prudentiam adhibere; quae nonniſi ingenti ſtudio, & labore comparatur; ut ſenſum a ſenſu tempeſtive diſcernant, tum pervium illum ſemper (quem litteralem, & proprium vocant) caeteris praeferre interpretationibus, quae etſi a ſcribentium mente non fuerint alienae, illo tamen poſteriores fuere, quem primo animo & cogitatione verſabant, quum ſuo, & ab aliis recepto idiomate dicta fuderunt. Atque poſtremum hocce, quod ex Patrum praeſcripto monitum tradimus, eo tutius excipi ab omnibus debet, quo magis abſunt incommoda quaedam Catholicae Veritati perniciosa nimium

(a) *Pſalm.* 16.

(b) *Homil.* 25. *in cap.* 13. *Numer.*

mium; si nempe ex litterali Scripturae expositione aliqua nihil exurgat, quod vel ipsi Scripturae contradicat, vel sanioris aethices dogmatibus sit repugnans, vel Ecclesiae sanctionibus adversetur, vel naturali demum ratione sit indignum. Atqui vitae spiritum tam belluis, quam rationabilibus communem illum esse, cujus ope respiramus, movemur, percipimus, atque sentimus bina, quae paulo ante retulimus, testimonia consentiunt, & quae sequenti Geneseos capite verba exarata leguntur consona sunt omnino; haec namque extant ibi: *In articulo dici illius.... universae aves omnesque volucres ingressae sunt ad Noe in arcam bina, & bina, ex omni carne in qua erat spiritus vitae.* Quaecumque igitur vindice Dei justitia aquis diluvii delenda erant, omnem complectebantur carnem, in qua spiritus vitae vigebat. Vitae ergo spiritus, quemadmodum in hominibus animam sensus rationisque capacem juxta naturalem, ac pervium Scripturarum Sensum declarat, ita quum de Brutis res est, eamdem loquendi rationem si sacer Textus adhibeat, legenti unus, idemque sensus se debet offerre, neque ullo possumus pacto ab eodem tenendo dimoveri. Recte propterea laudatus paulo ante Origenes (a) praeceptum reliquerat: *Facilius in Scriptura cognoscitur quod quaeritur, si ex pluribus locis, quae de eadem re scripta sunt, exempla proferantur.* Quamobrem nonnisi temerè a Mosis mente recedere conantur quicumque ex arbitrio tantum suo praepositis Geneseos locis exceptiones afferunt; quum nulla deinde, aequa cum hominibus animae belluarum natura constituta, exurgant vel Fidei di-

(a) *Orig. Tom. I.*

discrimina, vel alia quaepiam cum ratione ipsa pugnantia; quemadmodum opportunius nobis erit alibi liquida demonstratione suadendum.

§ 8 Jam si teneamus ea, quae de animantium natura modo ex Geneseos Auctore diximus, proclive erit proinde ut reliqua plura totius Scripturae dicta juxta obvium illius sensum inteligamus, quum illorum spiritum in medium proferunt, sive eorumdem cognitio, prudentia, & sapientia expressis ubique vocibus praedicantur. *Quis novit*, inquit sapiens (a) *si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum?* & alibi scribit (b) *Vade ad formicam o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quum non habeat ducem, nec praeceptorem, nec principem: parat in aestate cibum, & congregat in messe quod comedat. Milvus in coelo cognovit tempus suum. Turtur, & Hirundo, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui* (c). *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit Gallo intelligentiam* (d)? *Estote ergo prudentes sicut Serpentes* (e).

§ 9. Quid igitur, inquies, an ea tanquam sana doctrina erit habenda, quae mentis rationisque prorsus incorporeae ac spiritalis tantumdem belluis attribuit, quanta esse potest hominum excellentia, & divina ferme in agendo substantia? *Est haeresis*, monebat olim Philastrius (f), *quae pecudes, & serpentes, & aves rationabiles arbitran-*

(a) *Eccles. cap.* 3. (b) *Proverb. cap.* 6.
(c) *Jerem. cap.* 8. (d) *Job. cap.* 38. *vers.* 36.
(e *Matth. cap.* 10.
(f) *Lib. de Haeresib. haeres.* 52.

trantur esse ut homines. Verum haud satis efficax est hujusmodi argumentum, quod fortassis a praeoccupato ingenio, aut meticuloso philosopho obiici posset; etsi tamen occurrere pro viribus tempestive curabimus, posteaquam omnium temporum de belluis opiniones in examen advocaverimus. Interim vero nemo nos jure reprehenderit, si primum ex Lamindi Pritanii animadversionibus (a) detectum satis fuerit, unde leviſſimae suspiciones, & querimoniae id genus manaverint, & hactenus nullo fultae solido principio doctorum indoctorumque aures moleste nimium impleverint. Ita ergo rem aperuit Vir Clariſſimus: *Profecto quum praeteritis temporibus, tum nostris potissimum non defuere, nec desunt homines, quibus familiare est prophanas disciplinas, atque sententias saeculi, quasi verbis divinis infestas, atque contrarias insectari, & proscindere internecino odio perpetuis clamoribus, si quid novi Physica, aut astronum scientia, aut ars medica, aut eruditio prophana adfert: istud hominum genus mille pericula continuo timet sanctissimae Religioni, & certis Fidei decretis. Solliciti ergo nullum non movent lapidem, quo Auctores novarum opinionum, licet nihil rei cum Sancta Religione habentium, infament, eorumque libros dilacerent proscribant, & Supremis Ecclesiae Tribunalibus configendos exhibeant: & eorum zelus utique laudandus, modo tamen sit secundum scientiam, & cautis gressibus procedat. Deplorandum enim est, si errores ubi non erunt somniet; si illic pericula confingat, ubi nihil mali affluere potest, & injustos, atque necessarios com-*

(a) *De Ingenior. moderat. Lib. I. cap.* 21.

compedes iniicere velit naturali humanarum mentium Libertati. Harum ergo animadverſionum indicato veluti lumine ſupereſt modo, ut reliquos poſteriorum ſaeculorum, temporis habita ratione, Scriptores ſingillatim percurramus, qui rem noſtram, ſive obiter, ſive fuſiori calamo probare, & quoquomodo verſare non dubitarunt.

§ 10. Inter ethnicos philoſophos, quantum temporum antiquorum tenebrae, & viciſſitudines patiuntur, a ſuo veluti primatu deturbari non debet Pythagorica Schola, celeberrima olim, quae, Italicae quamplurium philoſophorum Sectae inſtituto, Aegiptiorum, Haebreorum, Chaldeorum, atque Perſarum myſteria omnia in ſe una, Auctoris, Conditoriſque ſui Pythagorae invictiſſimo ſtudio, collegiſſe viſa eſt; ideoque, *Animae Univerſalis* mundi, ac *Metemphſycoſeos* ſupremis dogmatibus conſtitutis, eaſdem eſſe hominum Brutorumque animas conſtantiſſime ubique earum gentium docuit, inter quas fuit proinde propagata. Innumeros autem, ex Aſia, atque Europa praeſertim, ſectatores habuit Pythagoras ipſe, quorum cura ejuſmodi Philoſophia longe lateque eſt amplificata. Haſce ſingillatim recenſet Stanlejus in ſua, quam Laertii more edidit, Philoſophica Hiſtoria (a), quam demum conſulere cuique fas erit.

§ 11. Nunc deinde inquirendum ſequitur quid alii Graeciae Philoſophi ratum habuerint, quum ingenii vires ad Brutorum animam inveſtigandam applicuiſſe noverimus. Porro Stratonis opinio obtinuit; qui Laertio teſte Theophra-

(a) *Part. VIII. cap.* 23. 24.

phrasti auditor fuit (*a*); ita belluis sentiendi vim, homini parem prorsus praesto adesse, ut ab intelligendi potestate sejungi reapse non posset. Huius placito adhaesisse item Aenensidemum quemdam secta Pyrrhonicum, praefatus fidem facit Laertius (*b*): ac de utriusque sententia demum Sextus Empiricus auctor est omni exceptione major adversus Mathematicos (*c*). Quamobrem haud incongruum, vel absurdum fore putarunt ultro fateri, animantia universa sensu donata rationis simul, rerumque percipiendarum muneribus aucta exornataque a natura fuisse, atque hoc ipsum scriptis consignare. Notissimum eiusdem Sexti Empirici dogma fuit (*d*), quod ipse ita decernit: *Nullum est animal rationis expers; sed omnia sunt intelligentiae & scientiae capacia*. Idem placuisse Parmenidi, Empedocli, & Democrito expresse Stobaeus prodit in Eclogis Physicis (*e*); illudque etiam adrisisse Anaxagorae, Aristoteles enarrat (*f*); ubi ex illius proposito tradit; *idem esse mentem & animam: mentem enim omnibus inesse animalibus, tam parvis, quam magnis, tam vilioribus, quam honestioribus*.

§ 12. Plutarchus eo quod inscribit Opusculo *quod Bruta animalia ratione utantur;* posteaquam colloquentes inter se induxerat personatos quosdam, Ulissem videlicet Circem, atque Gryllum; in hanc sententiam descendit, quum ita eumdem Gryllum loquentem exponit: *Mi Ulysses,*

ex

(a) *Lib. V.* (b) *In Pyrrho*.
(c) *Cap. de homine pag.* 201. *Edition. Aurelian.*
(d) *Pyrrhoniarum Hypotypos. Lib. II. cap.* 5.
(e) *Pag.* 93. *edition. Plantin.*
(*f*) *Lib. I. de Anima cap.* 2.

ex his omnibus colligere par est, bestiarum naturam non esse mentis, atque intelligentiae expertem. Sicut enim non est stirps alia stirpe magis exsors sentientis animae, sed eodem omnes modo destituuntur sentiendi facultate, quia nihil eorum, quorum stirpes terra continentur anima est praeditum; ita animalium quoque nullum alterum ignavius, aut ad discendum ineptius diceretur, nisi universa rationem, atque intelligentiam, sed alia minus vel amplius, haberent insitam. Atque mihi hoc considera, stupiditatem, ac fatuitatem quarumdam bestiarum acumine, & versutia aliarum demonstrari; verb. gr. si compares cum Vulpe, Lupo, aut Ape Asinum, vel Ovem, perinde est ac si tecum componas Polyphemum, aut cum Avo tuo Antolico Glaucum illum Corinthium, de quo est apud Homerum. Non enim existimo tanto differre bestiam a bestia intervallo, quanto homo ab homine distinguitur, quod ad intelligendum, ratiocinandum, memoriaque tenendum attinet.

§ 13. Huic, quem pro animantium cognitione aliqua citavimus testem, adde Galenum, qui & ipse in ea sententia fuit, quae belluis percipiendi facultatem concedit; quamvis nonnisi aliquantulum haesitabundus eidem assentiri videatur: *An*, inquit ille *animantium generi, quod irrationale appellatur, nulla omnino data ratio sit, sane dubium est. Nam etsi caret ea, quae in voce versatur, quam sermonem nominant, quae tamen animo concipitur, quam ratiocinium dicunt, ejus fortasse particeps omne genus animalium est, quamquam aliis parcius, aliis liberalius tributa sit* (a).

fatui

(a) *Oratione suasori. Ad Artes cap.* 1.

§ 14. Tantam cum vera intellectus indole affinitatem agnovit in belluis patientiſſimus rerum naturalium ſcrutator Plinius, ut propterea ex earum operibus ſimul collectis animoque rite connexis non dubitaverit rerum etiam futurarum praeſcientiam earumdem pluribus adjudicare: *Praeſagiunt & animalia*, inquit ipſe, atque huic firmandae ſanctioni exempla veriſſima congerit haud panca: *Delphini* (ſupple praenunciant) *tranquillo vicini laſcivientes flatum ex qua veniunt parte; item ſpargentes aquam turbato tranquillitatem. Loligo volitans, conchae adhaereſcentes, echini affigentes ſe ſe, aut arena ſaburrantes, tempeſtatis ſigna ſunt. Ranae quoque ultra ſolitum vocales; & fulicae matutino clangore. Item mergi anateſque pennas roſtro purgantes, ventum; caeteraeque aquaticae aves concurſantes, grues ſilentio per ſublime volantes, ſerenitatem. Sic noctua in imbre garrula, at ſereno tempeſtatem; corvique ſingultu quodam latrantes, ſeque concutientes, ſi continuabunt, ventos; ſi vero carptim vocem reſorbebunt, ventoſum imbrem. Graculi ſero a pabulis recedentes, hyemem; & albae aves quum congregabuntur, & quum terreſtres volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes ſe ſe, ſed maxime cornix. Hirundo tam juxta aquam volitans, ut penna ſaepe percutiat, quaeque in arboribus habitant, fugitantes in nidis ſuis; anſeres continuo clangore intempeſtivi; ardea in mediis arenis triſtis; nec mirum aquaticas, aut in totum volucres praeſagia aeris ſentire. Pecora exultantia, & indecora laſcivia luaentia, eamdem ſignificationem habent. Et boves coelum olfactantes, ſeque lambentes contra pilum; turpeſque*

porci

porci alieni ſibi manipulos foeni lacerantes ; ſegniterque , & contra induſtriam ſuam abſconditae formicae , vel concurſantes , aut ova progerentes ; item vermes terreni erumpentes ..... diras tempeſtates praenunciant (a).

§ 15. Quae de peculiaribus nonnullis Brutorum generibus mira , atque ingenioſa a vetuſtis non paucis Graecis Scriptoribus relata fuere, & quae ex Latinis etiam nobis erunt tradenda , ea ipſa ſunt quidem , quae ſi ſibi recte conſentiant, generale veluti axioma perſuadere debent , atque illa ab immateriali principio fuiſſe profecta , iiſdem probatum manere neceſſe eſt . Porro quod animantium vel uni ſolum convenire rite eſt conſtitutum , idipſum omnibus & ſingulis fore adjudicandum luculenta ratio ſatis ſuperque indociles etiam coarguit . Aut enim probabile aliquid , & philoſopho non indignum proferre expedit, quod aliquibus dumtaxat Brutis ſapientiam aliaſque ſelectas animi dotes convenire iiſdemque decorari liquido evincat; reliqua autem ab hujuſmodi nobilitate arceri , atque in materia omnino conſiſtere ; aut animantium neminem , cujuſcumque ſit generis , corporeis viribus , veluti machinae inanimes , omnia peragere , quae illorum propria eſſe videntur , affirmare neceſſe eſt ; ſed ſpiritus immaterialis ductu alicujus , hominum more , prudentiam in agendo , in diſcernendo vim , in arguendo idearum ordinem , praeclaramque earum aſſequutionem adhibere . Pervagata omnium ferme ſcientia Tullii illud eſt effatum (b) , quo de Elephantis ingenio , & ſagacitate

ita

(a) *Lib. XIX. hiſtor. natural. cap.* 35.

(b) *Lib. III. de Natura Deorum .*

ita teſtatur: *Elephanto belluarum nulla prudentior;* de quo etiam alibi dixerat (*a*): *Eſt illi belluae quaedam cum humano genere ſocietas:* quemadmodum hiſce laudibus eamdem extulerat Philoſtratus (*b*): *Animal ab homine ſecundum, ac proximum & prudentia, & conſilio.* Plura & admiranda inſuper ad hujus animantis indolem pertinentia ex veteribus Auctoribus fuſe admodum decerpta, atque in unicum ſcopum collecta tradit Woſſius (*c*), quae ipſum non ſinunt homine inferiorem dexteritate, providentia, aliiſque rationalis ſubſtantiae muneribus appellare.

§ 16. Leonis vero prudentiam, magnanimitatem, ſagacitatemque abunde commendant quotquot afferri valent ex Plinio (*d*), Ariſtotele (*e*), Aeliano (*f*), Oppiano (*g*), illuſtria teſtimonia. Illius autem amorem, odium, atque pavorem pluribus enarrant ex Eudemo Aelianus (*h*), nec non Seneca (*i*), aliique ſuperius laudati Scriptores.

§ 17 Rhinocerotis deinde, paucis ſaltem, aſtutia pretermittenda haudquaquam eſt, quum bellum cum Elephante parat, & ſtrenue quandoque conficit. Praeter Plinii verba certamen referentis; quae paulo inferius exſcripta no-

(a) *Ibidem Lib. VII.*

(b) *De vita Apollonii Tyanei cap.* 7.

(c) *De Origine & progreſſus idolatriae Lib. III. cap.* 50. (d) *Lib. VIII. cap.* 16.

(e) *Hiſtor. Animal. lib. VIII. cap.* 5.

(f) *Lib. III. de Animalibus cap.* 21.

(g) *De Venatione lib. III.*

(h) *Lib. IV. ejuſdem Operis*

(i) *Lib. II. de Ira cap.* 12.

nobis addere libuit; consuli quoque potest Agatharchides (*a*), atque ex eo Photius (*b*); cui etiam consentit Diodorus Siculus disertissime (*c*). *Rhinoceros unius in nare cornu* (en Plinii ejusdem brevis historia): *alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato praeparat se pugnae in dimicatione alvum maxime petens, quem scit esse molliorem: longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus.*

§ 18. Quis praeterea quantusque Cervorum in Venerem sit furor, aliis tractatoribus praetermissis, unum Budaeum expendere sufficiat (*d*): *Ad decimum octavum Kal. Octobris cervas libidinari incipientes, catulientium cervarum conciliabula quaerere, & velut ad forum Veneris undique convenire. Quo tempore si cervum venandum quis duxerit, indagandi ratio venanda est. Neque enim a circumscripta indagine venandi initium faciunt, ut solemni tempore; quoniam rabie pruriginis admissarii effaerati & canes, & homines atrociter invadunt, quum primum adspexerunt.* Paucis autem deinde interpositis subdit: *libidine autem flagrantissima admissarii ad mensem agitantur; deinde paulatim desaevientes, alterum paullo minus mensem absumunt.*

§ 19. Neminem latere potest quo usque Simiarum versutia, & promptissima rerum humanarum, quas semel conspexerunt, imitatio pertingat. Quare earum natura, quae nostris etiam temporibus & quotidiana experientia plu-

ribus

(a) *De Mari rubro Lib. I. cap.* 36.

(b) *Codic. CCL.* (c) *Bibliothecae lib. IV.*

(d) *De Philologia lib. Posteriori pag.* 81. *Edition. Basileens. an.* 1557.

ribus ingenioſe aſſueſcere cernitur, cum Simiarum ſagacitate a veteribus philoſophis ſpectata quippe concors quum ſit prorſus, ii quidem acri praeſtantes judicio, non levia reipſa mentis ſolertiſſimae praebere argumenta animantium genus illud prodidere, ſi quando eorum acta ſingillatim attente perluſtraſſent. Simias capellae inequitare, atque inde jacula emittere, bellatorum more tectas armataſque, tum ex ſuperiorum ſuorumque temporum hiſtoria, tum ex Phyſicorum ſummorum ſcriptis teſtatum reliquit Iuvenalis (*a*).

Qui tegitur parma, & galea metuenſque flagelli
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

§ 20. Illuſtria aliquot de Canum ſagacitate & amicitia exempla; praeter Plinium, atque Oppianum; quae ſatis abunde congerunt Iuſtus Lipſius (*b*), aliique ex omni aetate Scriptores, & ipſa frequens eorum conſuetudo; eo nonniſi ſpectare videntur, ut illos revera ſingulari memoria, imaginandi vi, atque ingenio demum mirum in modum pollere dicamus.

§ 21. Caprearum ſylveſtrium genus, caeteris huc uſque memoratis, non minus ſagax, & ad agendum animi prudens, tum ex Pliniana narratione (*c*), tum oculari animadverſione affirmat Iulius Caeſar Scaliger (*d*): *Mira Caprearum comperta nobis prudentia. Ubi errabundae quaerunt novas ſedes, aut paſcua, proſpecta proxima ru-*

(a) *Satyr. VII. verſ.* 154.
(b) *Epiſt. X. ad Contubernales.* (c) *Lib. VIII. c.* 50.
(d) *Exercitat CCVII.*

rupe, projecto pede ſaepe periclitantur ejus fidem; nempe mobilis ne ſit, an fortaſſe lubrica.

§ 22. Nihil vero aeque mirandum in omnibus ſinguliſque Brutorum generibus ſpectare, atque animadvertere licuit omni Philoſophorum antiquitati, ac quum eorumdem vires expendere illi caeperunt, atque animantium cunctorum prudentiam; ne videlicet ſi forte eas adhibere cogantur, ultra intimum ſenſum abutantur, atque ex adverſo, pro eorum neceſſitate, incredibili judicii diſcretione. Scite propterea de exquiſita hujuſmodi cognitione Lucretius (*a*).

Sentit enim vim quiſque ſuam, qua poſſit abuti.
Cornua nata prius vitulo, quam frontibus exſtant:
Illis iratus petit, atque infenſus inurget.
At catuli pantherarum, ſcymnique leonum
Unguibus, & pedibus jam tum, morſuque repugnant,
Vix dum etiam ſunt dentes unguesque creati.

§ 23. Hujus etiam roboris, atque ad connitendum momenta aeque ad diſcernendum quid eorum cuique pro remedio & medela conveniat, extendi jure debent; ac ita conferunt, ut eodem ſenſu belluae pro re nata doceantur, illudque diligentiſſime inquirant. Illuſtris attendi debet Tullii locus (*b*); ut quid de pantheris ex communi hiſtoricorum opinione ſuo tempore diceretur, habeamus: *Auditum eſt pantheras, quae in Barbaria venenata carne caperentur, remedium quodam habere, hominis nempe excrementa.*

Sed

(a) *De Natur. Deor. lib. II.* (b) *Lib. V.*

§ 24. Sed inter illos, quos teſtes pro ſenſu & cognitione Brutorum adduximus, ii nullo pacto debent praeteriti ſilentio, qui de eorum ſermocinantur paſſionibus, ira ſcilicet, amore, odio, furore, atque concupiſcentia, quibus belluae, ferme atque homines, obnoxiae deprehenduntur. Porro horum Scriptorum judicio, iiſdem idcirco pathematibus affecta animantia cuncta aſſeruntur, perinde ac rationale animal, propterea quia ulla excitari in anima paſſio nequeat, quin ſenſibile aliquod gratum moleſtumque in ea praeceſſerit, quod probe perceptum, & cum aliis collatum, aut in iracundiam efferatam impulerit, aut ad amorem deſideriumque pellexerit. *Non vides*, inquit Seneca ad Novatum ſcribens, *ut omnium animalium, ſimul ad nocendum inſurrexerunt, praecurrant notae, ac tota corpora ſolitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem ſuam exaſperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu; taurorum cornua jactantur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur; leones fremunt; inflantur iratis colla ſerpentibus; rabidorum canum triſtis adſpectus eſt. Nullum eſt animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, ubi ira invaſit, nova feritatis occaſio.*

§ 25. Praeterire ad brevitatem conciliandam nobis adridet ſolemnem Iudaei Philonis Scriptoris celeberrimi de Brutorum intellectu rationiſque uſu ſententiam, pro quo peculiarem confeciſſe librum Euſebius (*a*) teſtis eſt locupletiſſimus; in eaque amplificanda eo uſque progre-

(a) *Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. II. cap.* 18.

ditur, ut mente atque ingenio animantia ipsa ne minimum ab hominibus discrepare arbitretur.

§ 26. Attamen Celsi audacior censeri debet, & adversus Christianam Religionem opinio multo illa deterior, cujus tamen impietatem quibusdam capitibus Origenes distincte complectitur, acriterque refellit. Infensissimus nempe Fidei nostrae ethnicus ille hostis blaterabat primum, *bestias hominibus non solum sapientiores, sed etiam Deo chariores esse; praeterea prudentiores bestias habere inter se colloquia, eaque sanctiora nostris; intelligere se quae illae dicunt, & ea sibi nota esse persuadere; quum postquam praemonuerunt aves dixisse, se aliquo abituras, aut hoc illudve facturas, ostendunt eas illo abeuntes aut facientes, quae praedixerant: elephantos jurare, erga Deum fideliores esse nobis, habere Dei notitiam.* Verum isthec Religioni esto perniciem aperte inferant, ea tamen indubia argumentatione evincunt quid Celsus, pluresque suorum temporum philosophi in Brutorum gratiam dignitatemque sentirent (*a*).

§ 27. Neque vero putandum est, Ecclesiae Patres, qui hoc idem tractarunt argumenti genus, moderatius agere consueviſſe: est enim in ipsis aperta adeo atque decretoria scribendi ratio, quum de animantium ingenio, solertia, ac intelligendi vi obiter plerumque agunt, ut inde paria omnino pro re nostra, ac ab ethnicis philosophis, erui valeant apodictica testimonia. Quae D. Ambrosius (*b*) haud inconcinne naturalem agens Philosophum docet, illud acumen spectat belluarum, quo ipse discernunt opti-

(a) *Origen. cont. Celsum lib. IV.*

(b) *Lib. VI. Hexameron Cap.* 4.

time quibus sibi mederi valeant dum morbo laborant, & a quibus simul, tanquam supervacaneis aut noxiis, cavere debeant: *Ursa*, inquit, *gravi affecta caede, & consauciata vulneribus, mederi sibi novit, herbae, cui nomen est phlomos, ut Graeci appellant, vulnera subjiciens sua, ut solo curentur attactu. Serpens quoque pastu foeniculi caecitatem repellit exceptam. Itaque ubi oculos obduci sibi senserit, nota remedia petit, nec fraudatur effectu. Testudo visceribus pasta serpentis, quum venenum adverterit sibi serpere, origano medicinam suae salutis exercet..... Capra vulnerata dictamum petit, & de vulnere excludit sagittas. Leo aeger simiam quaerit, ut devoret, qua possit sanari. Leopardus capreae agrestis sanguinem bibit, & vim languoris evitat. Omnis fera aegra canis hausto curatur sanguine. Ursus aeger formicas devorat: Cervus oleae ramusculos mandit.*

§ 28. At ad hosce praesertim antiquiores Ecclesiae Scriptores accedere optimum factu ideo censui, quod ab iis potissimum ethnicae philosophiae mysteria melius detecta fuissent tunc temporis, quo ipsi magno zelo, exquisito ingenio, & ampliſſimo doctrinae apparatu humanae sapientiae errores convellere, & pro Christianae Religionis veritate strenue dimicare, & pro illa luculentissimas apologias adornare aggrediebantur. Illustris Arnobii locus (*a*) illud ipsum de Brutorum excellenti natura nobis probatum tradit, quod tum superioribus aetatibus, tum eo quo scribebat saeculo inter sapientiores ferebatur. Ille nimirum animantia inter, & homines

 col-

(a) *Adversus Gent. lib. II.*

colloquutione inſtituta id perperuo legentium oculis ſubjicit, quod in iiſdem Brutis nihil aut parum diverſum a rationalium hominum conditione, & conſuetudine diverſum apparet. *Vultis favore depoſito;* inquit ipſe; *cogitationibus tacitis pervidere animantia nos eſſe, aut conſimilia caetera, aut non plurima differitare diſtantia? Quid eſt enim, quod nos ab eorum indicet ſimilitudine diſcrepare; vel quae in nobis eminentia tanta eſt, ut animantium numero dedignemur adſcribi? Ex oſſibus illis fundata ſunt corpora, & nervorum colligatione devincta. Auras accipiunt naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt; & nos ſpiritum conſimiliter ducimus, & reſpiramus commeatibus crebris. Foemininis generibus, maſculiniſque diſtincta ſunt; in totidem & nos ſexus noſtro ſumus ab Auctore formati. Edunt per uteros foetus, & corporalibus conciliis procreant; & nos corporum conjugationibus naſcimur, & ex alvis fundimur, atque emittimur matrum. Cibo ſuſtentantur & potu, & ſuperfluas foeditates inferioribus egerunt abiiciuntque poſticis; & nos cibo ſuſtentamur & potu, & quod natura jam reſpuit, per eoſdem effundimus tramites. Cura illis eſt omnibus famem prohibere mortiferam, & neceſſario invigilare pro victu; quid aliud nos tantis agimus in occupationibus vitae, niſi ut ea quaeramus, quibus famis periculum devitetur, & infelix ſollicitudo ponatur? Morbos illa, & inedias ſentiunt, & ad ultimum ſenectute ſolvuntur: quid enim? Nos immunes malis ab his ſumus, & non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, & ſenectutis deſtruimur tabe? Quod ſi & illud eſt verum*

rum, quod in myſteriis ſecretioribus dicitur; in pecudes atque alias belluas ire animas improborum, poſtquam ſunt humanis corporibus ſumptae; manifeſtius comprobatur vicinos nos eſſe, neque intervallis longioribus diſparatos: ſiquidem res eadem nobis & illis eſt una, per quam eſſe animantia dicimur; & motum agitare vitalem. Sed rationales nos ſumus, & intelligentia vincimus genus omne mutorum. Crederem iſtud veriſſime dici, ſi cum ratione, & conſilio cuncti homines viverent, ſervarent officiorum tenorem, abſtinerent ab illicitis, & ſi negotia turpia non adirent; neque quiſquam pravitate conſilii, atque ignorantiae caecitate contraria ſibimet atque inimica depoſcerent. Vellem tamen ſcire quaenam ſit haec ratio, per quam ſumus potiores animalium generibus cunctis: quia nobis domicilia fecimus, quibus poſſimus hyemalia frigora, & aeſtatis fragrantias evitare? Quid animantia caetera hujus rei providentiam non habent? Nonne alia cernimus opportuniſſimis ſedibus nidulorum ſibi conſtruere manſiones; alia ſaxis, & rupibus tegere, & communire ſuſpenſis; excavare alia telluris ſola, & in foſſilibus foveis tutamina ſibimet, & cubilia praeparare? Quod ſi miniſtras manus illis etiam donare parens natura voluiſſet, dubitabile non foret, quin & ipſa conſtruerent moenium alta veſtigia, & artificioſa excuderent novitate. Tamen in his ipſis, quae roſtris atque unguibus faciant multa ineſſe conſpicimus rationis, & ſapientiae ſimulacra; quae homines imitari nulla meditatione poſſumus, quamvis ſint nobis opifices manus, atque omni genere perfectionis artifices.

Pa-

§ 29. Parum ab Arnobii placitis verba, & ſcita Lactantii graviſſima (*a*) diſtare leguntur, cujus in philologicis rebus, & in omni eruditionis praeſtantia tanta vis eſt, amplitudo, atque integritas, ut de illorum veritate pene nefas ſit aut cavillantis cauſam invenire, aut etiam nos haerere ſuſpenſos. Haud aequo ipſe gradu, ſive cognitionis natura ſtatuere Bruta hominesque contendit; atque horum propterea generoſiores poſteaquam dotes recenſuerat, magnam nihilominus illis earum rerum copiam voluit attributam, quae nihil ſane habent cum materia commune. *Etſi non ſint talia in Brutis* (ea videlicet quae poſtremò conceptis repetit verbis), *tamen ſimilia videri poſſe. Proprius homini ſermo eſt, tamen & in illis quaedam ſimilitudo ſermonis: nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus, & quum iraſcuntur edunt ſonum jurgio ſimilem, & quum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditae, ſicut illis fortaſſe noſtrae; ſed ipſis, qui ſe intelligunt, verba ſunt. Denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendunt. Riſus quoque eſt homimini proprius; & tamen videmus in aliis animalibus quaedam ſigna laetitiae, quum ad ludum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt. Quid tam proprius homini, quam ratio, & providentia futuri? Atqui ſunt animalia, quae latibulis ſuis diverſos, & plures exitus pandant, ut ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis; quod non*

(a) *De ira Dei cap. 7.*

non facerent, niſi ineſſet illis intelligentia, & cogitatio. Alia provident in futurum, ut

. . . . . ingentem formicae farris acervum
Comportant, hyemis memores, tectoque reponunt.
Ut Apes,
Quae patriam ſolae, & certos novere penates
Venturaeque hyemis memores, aeſtate laborem
Experiuntur, & in medium quaeſita reponunt.

Longum eſſet, ſi exequi velim; quae a ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanae ſolertiae ſimillima. Quod ſi horum omnium, quae adſcribi homini ſolent, in Brutis quaque deprehenditur ſimilitudo, apparet, ſolam eſſe Religionem, cujus in Brutis nec veſtigium aliquod, nec ulla ſuſpicio inveniri poteſt.

§ 30. Ad ſpirituum claſſem luculentius duabus definitionibus ex vocum poteſtate petitis Brutorum animas refert Iſidorus (*a*), cujus verba illico recitantur. Earum prior ita exhibetur: *Latine autem animalia, ſive animantia dicta, quod animentur vita, & moveantur ſpiritu*: altera vero magis decretoria, & rei noſtrae accommodatior hac ratione legenda proponitur: *Ferae apellatae, eo quod naturali utantur libertate earum voluntates, & huc atque illuc vagantur, & quo animus duxerit eo feruntur.*

§ 31. Eccleſiae Patrum numero adiiciendus eſt D. Epiphanius, cujus tota late diſtenditur de animantium ingenio, aſtu, & ſolertia in eo quod inſcribitur *Phyſiologus* Opere,

(a) *Etymolog. lib. XII. cap* 1. *&* 2.

re, eruditio atque doctrina. Ubi de vulpis agit versutia (*a*) pro re nostra testem appello: *Vulpes versutum est animal. Quum enim esurit, & cibo caret, aprica loca adit, & humi strata animamque continens, ac simulans se mortuam supina jacet oculis & pedibus sursum erectis. Aves itaque delabuntur, ut ipsa vescantur: illa vero arripit eas subito, ac pro libito devorat.* Attamen etsi hocce aliis pluribus Epiphanii de vulpis astutia praetulerim testimonium adeo perspicuum, haud ipsum idcirco praecipuum censeri debet, cui uni ex Graeco Doctore causae vim fidere cogitaverim. Etenim tam multa ibi, & tam mira praeterea de Leone (*b*), de Uro (*c*), de Elephante (*d*), de Aquila (*e*), de Perdice (*f*), de Turture (*g*), de Serpente (*h*), de Formica (*i*), aliisque animantibus non minus sedulo, quam verissime scribit, ut nihil magis ab intentissimo hac super re philosopho expeti potuerit, quod Brutorum in intelligendo deliberandoque viribus consonum sit, ac vere respondeat.

§ 32. De Porphirio celeberrima Christianae fidei adversario nihil attinet dicere quid, & quantum de spirituali animantium natura disputaverit. Unus profecto, aut saltem omnium princeps existimari merito debet, qui pro dignitate, & fuse admodum nostrum videtur pertractasse argumentum, quum Opus illud, inter alia plura, est aggressus, quo ab animalium carnibus abstinendum unicuique demonstrat; ac piaculare fore probat, si ea consulto interficiantur, sive mactentur. Ipse nimirum

(a) *Ibid. cap.* 19. (b) *Cap.* 2. (c) *Cap.* 3.
(d) *Cap.* 4. (e) *Cap.* 6. (f) *Cap.* 9.
(g) *Cap.* 10. (h) *Cap.* 13. (i) *Cap.* 18.

rum tam rigidus Brutorum cuſtos tutorque videri, & eſſe revera propterea contendit, quod illis animam ineſſe putet immaterialem, quae humani ſpiritus inſtar, ſenſu & ratione ſit praedita; atque ad hunc Operis ſcopum momenta diſputationis perpetuo urget validiſſima.

§ 33. Qui vero poſteriorum temporum extitere cum non mediocri laude Philoſophi aequam Brutis cogitandi vim conceſſere, quam a vetuſtioribus, ut ſatis hucuſque vidimus, tributam fuiſſe modò jam inficiari non poſſumus. Fracaſtorius enim (*a*) amorem pecudibus omnibus expreſſe adjudicans, diſcernendi facultatem, & quae ad mentis opera exercenda neceſſaria ſunt reliqua, ipſi opus erat perinde largiri: *Quem amorem*; ita idem ſcribit; *non ſolus homo, ſed & alia animalia habent, quibus phantaſia, & memoria ineſt; nam & filios ea tueri videmus, & iis eſcas parare.*

§ 34. Caeteris autem antiquorum temporum Diſputatoribus, antequam progrediamur, qui pro Brutorum ſpiritualitate ſtetiſſe leguntur, praehabendus meritò eſt celebris ille Hieronymus Rorarius; de quo Baelius (Artic. *Rorarius*) plura enarrat; & ipſe potiſſimum duabus ad ſpectatiſſimos Viros datis Epiſtolis exponit quid pro belluarum anima vere ſentiret (*b*). Rorarii autem tota in eo verſabatur doctrina, & Operis a ſe editi conſilium ut oſtendere conaretur, animalia Bruta ita aſtu, & cognitione pollere, ut in hiſce exercendis hominibus ſaepe praeſtare videantur.

Poſt-

(a) *De Sympathia, & Antipathia cap.* 17.

(b) *Epiſt. Dedic. ad Madrutium Card., & in altera Epiſt. Dedic. ad Epiſc. Atrebatenſ.* 1. *Martii* 1547.

§ 35. Postquam paucis Rorarii aliquantulum audax in scribendo propositum attigimus eadem Commentariorum brevitate quid alii etiam circa ea tempora autumaverint extra Italiam Philosophi pro belluis assertores operae pretium est ut dicamus. Daniel Sennertus, Baelio teste, & Brutorum vindice (*a*), quippe Philosophus sua aetate praeclarus, ac in Vittembergensi Academia Medicinae Professor, pecudum animas non immateriales solum, & rationales tueri voluit, verum etiam per se immortales ita defendendas fore statuit, ut totum hasce inter atque humanas discrimen *ad magis & minus*, ut vulgo dicitur, solum spectare dixerit. Sive liberior opinionis novitas, quam ejus aevi caligo, & late patens in Academias celebriores etiam ignoratio, sive nimius in Religionem zelus (ni forte praeceps in eam furor) in quibusdam nihilominus contradicendi, atque ejus etiam acriter insimulandi stimulos excitavit; quos inter crebris eum lacessivit de blasphemiae, ac haereseos crimine apud Ecclesiae Praesides accusationibus Johannes Freitagius; perinde ac si tam probrosa, & impia ex Sennerti placitis liquido consequerentur. Attamen inconsulti hujusce adversarii criminationes non tam facili negocio Sennertus ipse declinasse fertur, quam in adornanda apologia ita sese temperasse visus est, ut dum a sceleris stulta fide impositi suspicione sese prorsus absolvit, belluarum naturam, qua ratione primum putabat, iterum irerumque confirmat. (Opuscul. consule, cui titulus: *De origine & natura animorum in Brutis sententiae Clarissim. Teologorum in aliquot Germaniae Aca-*

(a) *Diction. Articul. Sennert.*

Academiis, quibus simul Daniel Sennertus a crimine blasphemiae, & haereseos a Johanne Freitagio sibi intentato absolvitur.) Quamobrem nulli profecto mirum obiici poterit quod Johannes Cyprianus affirmat (*a*), tum appositè Sennerti casibus animadvertit; Theologos scilicet Lipsienses, Rostochienses, Basileenses, Regiomontanos de belluarum anima interrogatos juxta Sennerti ipsius opinionem unanimi sensu perpetuo respondisse.

§ 36. Dicere praeterimus, ne aequo longiores esse videamur, quae de simili aliorum Scriptorum, qui deinde eodem saeculo floruere, sententia idem Johannes Cyprianus refert (*b*); nempe de Johanne Scoto Erigena (*c*), Johanne Lipsio (*d*), Henrico Moro (*e*), Johanne Taurello (*f*), deque aliis non paucis quidem, quos pecudum spiritalitati luculenter faviſſe non dubitat. Huic demum, quem nuperrime commendatus rerum animalium historiographus contexuit Scriptorum immateriali animantium naturae suffragantium catalogo adjicere mihi fas sit Guillelmum Parisiensem, eumque propterea inter fautores nostros recensere, quod pecudibus ipsis ullo absque discrimine, aut exceptione ulla, spiritalem animam diserte adjudicaverit (*g*).

§ 35. Nunc

(a) *Histor. Animal. continuat. pag.* 27.

(b) *Ibid. pag.* 24.

(c) *Lib. II. de division. natur. num.* 41.

(d) *In Metaphys. Magna lib. II. cap.* 1.

(e) *De Anima lib. II. cap.* 6.

(f) *In libello de Vita, & morte: Quaest. altera, Propositi. IV.*

(g) *Vide Journal des Sçavans* 18. *Janvier* 1677.

§ 37. Nunc vero ad ea, quae noſtra dicam, tempora inviſenda deſcendam, quorum initium figere circa elapſi ſaeculi finem ad hoſce uſque annos non abſque ratione decrevi. Quos autem horum temporum Philoſophos pro immateriali Brutorum principio diſſerentes recenſuero haud ita accurate perſequar, ut ſemper chronologiae rationem prae oculis ſim habiturus. Itaque celeberrimus primum Marchio d' Argens (*a*) commemorandus inter quamplures Recentiores hac de re Scriptores nunc mihi ſeſe offert, cujus ſcribendi circuitus, eo tandem vergit, ut, comparatis ſimul hominum belluarumque operationibus haud quidam paucis, haſce humanis multum praecellere aſſeveret. Qua Vir ipſe Clariſſimus a nobis aequa cenſura ſit dignus, ad praeſens non adtinet dicendi propoſitum: ab ejus tamen de pecudibus doctrina mihi demum fas erit aſſertum eruere, quod cum caeteris ſuperiorum aetatum & gentium ſapientibus ſit omnino conſentiens.

§ 38. Eadem cum laudato Marchione de ſpiritali Brutorum anima concordia ſentire viſus eſt praeclarus vir, & peracutus D. de la Montagne (*b*), cujus etſi; ut omnium fama eſt; magna fuerit in pyrrhoniſmum propenſio; quum de re varia diſputaret, ipſi tamen de natura, & conditione animantium diſſerenti conſtanter adriſiſſe liquet illa totis viribus humanae dignitati coaequare: quippe libertatem abunde quantum homini ſuppetit, clementiam, aequitatem, virtutes omnes, ipſamque

(a) *Lettres Cabaliſtiques Tom. IV. Lettre* 101.

(b) *Eſſais lib. II. cap.* 12.

que Religionem belluis nititur, non permittere ſolum dubitanter, verum etiam prudens ſcienſque largiri.

§ 39. Montaignio conſequitur pro re noſtra laudandus D. Boullierius, quem novum de Brutorum anima ſyſtema excogitaſſe, eamque ſpiritalem, immaterialemque dixiſſe, editum a ſe Opus (*a*) anno primum 1728., ipſumque anno 1737. deinde recuſum auctius locupletatum, & D. Fontanellio inſcriptum, fuſe admodum prodit. Hujuſce tamen operis; cujus omnem ſibi Boullierius ipſe laudem ſemel iterumque vendicat; explorata jam res eſt unde initia fluxerint, & quantum D. de la Chambre acceptum referre Auctor debuerit quidquid, tanquam noviſſimum, de belluarum indole profert; cujus ſyſtematis nihilominus fundamenta jacta multo ante fuiſſe in eo quem anno 1664. Typis Pariſienſibus ipſe de la Chambre evulgaverat Tractatu (*b*), nemo in hiſce litteris eruditus ignorat. Verum utut critica hujuſmodi ſe res habeat, illud profecto extra omnem dubitationis aleam ad propoſitum noſtrum maxime pertinet, utrumque videlicet de animantium natura Scriptorem ad immateriale ſubſtantiae genus illa perpetuo retuliſſe.

§ 40. Quo tempore Boullierii Tractatus omnium manibus ferebatur, aliud eodem anno excuſum prodiit Opus ex Anglico D. Ditton idiomate in gallicam linguam converſum (*La Religion Chretienne demontrèe par la Reſurrection de notre Seigneur Jeſus Chriſt &c. avec un ſupplement, ou l'on developpe les principaux foints de la Religion naturelle. Par Mr. Homfroi Ditton*), in quo

(a) *Eſſai Philoſophique ſur l'Ame des Bêtes.*

(b) *Traitè de la connoiſſance des animaux.*

quo eruditiſſimus Auctor Bruta omnia contemplari adgreditur, eaque propterea immateriali ad agendum principio a ſupremo viventium Conditore inſtructa decernit, quod evidentiſſime illis undique inſpectis, appareant vi cogitandi pollentia. Plura Britannicus ipſe Philoſophus ſcite expendit, atque ad ſuum ſtudet ſcopum aequabiliter ut probe colliment, quae a nobis erunt perinde ſuo loco demum accommodanda.

§ 41. Non minus contra male diſſerentes Scholaſticos in aciem venit Clariſſimus Lochius, quum Bruta contemplatur (*a*), quam fuerint quotquot huc uſque ex Recentibus commendavimus Auctores. *Si Beſtiae* (inquit ipſe) *ideas habent aliquas, & meae non ſunt machinae, ut aliqui volunt, negare neſciemus, eaſdem ratione etiam aliqua ad certos limites donari. Et quidem id mihi ita eſt evidens, Bruta ratiocinari, ac evidens mihi eſt, eadem ſentire: quamquam vero non ratiocinentur, niſi ſuper ideas particulares, quae ipſis per corporeas ſenſus exhibentur.*

§ 42. Mirum tamen, quomodo ipſe Carteſius belluinae cognitionis, & immaterialis animae in Brutis acerrimus inimicus, ex organicae corporum ſtructurae contemplatione; quae ſimilis admodum animantia inter, & homines ſibi perſpicue videbatur; in aliquam dubitationem adduci paſſus eſt, num pecudes reipſa hominum ritu cogitarent: a qua nihilominus ſuſpicione in veram ſapientum ſententiam idcirco non tranſiit, quod infirmo ſane judicio cogitationem cum animae immortalitate in iiſ-

(a) *Eſſai Philoſophique concern. l'entendement hum. Lib. II. cap.* 11.

iisdem Brutis conciliare pertimescerent. En itaque verba, ejusque sermo (*a*); qui dubio procul tanti Viri celebritati atque ingenio cunctis caeteroqui comperto, haudquaquam respondet: *Hoc ergo solum dici possit, quod licet Bruta nihil agant, quod probet illa cogitare, tamen quia corporis illorum organa a nostris valde diversa non sunt, conjicere licet, aliquam esse cogitationem hisce organis adjunctam, quemadmodum in nobis experimur; licet illorum cogitatio sit imperfectior nostra; ad quod nihil est quod respondeam, nisi quod, si illa cogitarent, ut nos, animam etiam, ut & nos immortalem haberent; quod non est verisimile: nam nulla est ratio, cur de quibusdam Brutis potius, quam de omnibus id credam: permulta autem, ut ex. grat ostrea, spongiae &c. nimis imperfecta sunt, quam ut hoc de iis judicari queat.*

§ 43. Quum vero magis propiusque nostrae accedimus aetati, aequa etiam philosophorum copia contra Peripateticorum sensum nobis praesto adest; quibus ducibus atque magistris eam assequimur scribentium seriem, quae vel immateriale, vel spirituale prorsus animantium in agendo principium apertissime adstruat. Itaque Leibnitius de omni philosophia tam benemeritus, cui Septentrioni decus; quo antea nemo illustrius unquam; maximum attulisse contigit, novo quodam systemate Brutorum animas incorporeas simplicesque constituit (*b*), quas insuper natura numquam interituras esse autumavit; neque vero absolutè, ut ajunt immortales esse in-

(a) *Epist. ad Vir. Magnat.*

(b) *Epist.* 194. *Lipsiae* 1734.

incongrua quidem ratiocinatione, fateri patiebatur. Brutorum eorumdem omnia demum celcberrimis ſuae Harmoniae praeſtabilitae ipſorum corpus inter, & animam legibus ſe explanare ex more gloriatur.

§ 44. Chriſtianus Wolfius Leibnitianis dogmatibus addictiſſimus aſſecla belluas eſſe quidem incorporeas ſimpliceſque, quantum ad earum animam ſpectat, mathematica eaque dilucida methodo oſtendit; attamen ſpiritus habere rationem non diffitetur ſolum, verum etiam adverſam inſtituit demonſtrationem, propterea quia eas intellectu, ac libera voluntate carere arbitretur (*a*). Existimabat nimirum Vir ſatis ſuperque acutus, ſpiritus a ſubſtantia, quae dicitur incorporea, diſcrimen intercedere ingens, nec utraque nomina pro ſynonimis in philoſophico foro poſſe uſurpari (*b*): quare pro adhibita diſtinctione hujuſmodi pecudum ſubſtantiis caeteroqui immaterialibus rerum perceptiones, intimam earum conſcientiam, phantaſiam, memoriam, & ea quaecumque tandem largiebatur libens, quae vitam animalem conſtituere praedicantur.

§ 45. Poſt Leibnitianam Wolfianamque hoc ſuper negocio philoſophiam, differendi ſemitam perſequutus eſt Clariſs. Kantius; verum feliciori, quantum mihi fas eſt exiſtimare, diſputationis exitu: quippe ex conceſſis ab ipſo Wolfio animabus pecudum proprietatibus non ipſas immateriales ſolum fore perſuaſum habere teſtatum ſcriptis reliquit, verum etiam ſpiritalis eſſe naturae decrevit, quin

(a) *Pſycholog. rational. Sect. IV. cap.* 3. §. 749. 752. 753. 764.

(b) *Ibid. Sect. IV. cap.* 1. §. 643.

quin circa earumdem immortalitatem inde absurdum sequi ullum posse formidaret, quod Religionis jura labefactaret. (a) Tantam autem ex adverso cum sacrosanctae Fidei dogmatibus concordiam, spiritalitate hujusmodi posita, intercedere arbitratus est ipse Kantius, quantam deinceps cum Religione, & saniori Philosophia reipsa detexit celeberrimus Laurentius Magalottus, insigne olim Florentinarum Litterarum decus; quem utinam scientiae amoenitate profunditateque ex nostratibus pauci saltem simili rerum inquirendarum studio hodierna tempestate aemularentur! Sibi vero obiicienti belluarum animam immortalis proinde vitae munere fore amplificandam, appellandamque; quamprimum incorporea adstrueretur, aut spiritalis; sedulus, doctus rectèque ingeniosus Comes continuo respondet, nullum a se jure posse incommodum pervideri, quod ut quisque sublimi doctrina excultus debeat comperire, ita Brutorum animas immortales dicere tuto etiam prohibeat (b).

§ 46. Tametsi vero alii deinde non minus praeclari Tractatores de germana Brutorum spiritalitate disputaverint, iisque rationem in rebus eorum gerendis amplissime fuerint impertiti, ab illorum tamen immortalitate edicenda, tanquam a scopulo maximopere periculoso se se omnino temperarunt. Ad hosce tam formidolosos spectant eruditissimus Ansaldus, nec non Maupertuisius; quorum prior ita aperte rem legitur definire; nempe *universis animantibus esse datam rationem; sed mutis tan-*

d tum-

(a) *Philosophiae Leibnitian. & Wolfian. usus in Theolog. Cap. 2. Sect. IV. §. 18.*

(b) *Lettera scientif. XI. Famigl. XXIV.*

tummodo ad vitam tuendam, homini autem ad propagandam ſcilicet per immortalitatem (*a*) ; alter vero eorum nihil a belluis removendum eſſe diſerte ſancit ; immortalitate tamen ſecluſa ; quae hominum animabus, univerſis temperatioribus Philoſophis ſuffragantibus, tribuuntur (*b*). A qua etiam philoſophandi ratione nec hilum quidem diſtare viſus eſt Sherlokius ; cui pecudum animas ad ſpirituum claſſem referre ita quidem libuit, ut tamen (utpote neceſſario quodam conjunctionis cum earum corporibus nexu pendentes viventeſque arbitraretur) hiſce ſemel interitu diſſolutis, ſimili illae fortuna interirent. (*c*)

§ 47. Suſceptae a nobis Philoſophorum omnium peragrandae hujuſmodi hiſtoriae amplitudo efflagitat, ne ab hujuſmodi cenſu eos forte repellamus, qui Alphonſo Nicolajo Lucenſi teſtante (*d*), pecudes ad agendum activo, ut ajunt, principio aliquo cieri quidem fatentur, quod ſpiritale dicere formidant, at neque corporeum unquam decernere audent. Ita nempe iſtiuſmodi diſputatores in ancipiti cogitatione verſari videntur, ut verbis ſolum, non re a caeterorum ſapientum pro animantibus ſenſu hactenus explanato ullatenus diſcrepent. Inter utramque ſententiam, inani fortaſſis violandae Religionis formidine diſtrahi patiebantur ineptiſſimi nonnulli etiam Ephemeridum in re Litteraria conſarcinatores, dicam ne potius, quam acres, ut par erat, inſtituto-

(a) *De princip. legis natural. tradit. Lib. II. §. 13. & ſeq.* (b) *Lettre V.*

(c) *De l'Immortalité de l'ame Sect. II. cap. 2.*

(d) *Lezione XIII. del Geneſi pag. 222.*

tutores (*a*): quippe belluis cognitionis ſenſuſque operoſum aliquod ineſſe principium, nihil autem de hujus natura noviſſe libere teſtabantur; adeoque in illo ſiſtendum, deſperandumque ultra progredi homines poſſe monebant. Macti ingenii acie Scriptores! Scilicet ipſi illud omnino idem Brutis reipſa largiebantur, quod materies eſſe non poteſt, ac quod in homine perinde cognitionum ſuarum principium, & vivida nuncupatur origo; etſi hoc ipſum funditus animo & meditatione noſtra haudquaquam revera adſequi poſſe ſperemus; namque aequa utrobique, nemine contradicente, rei perſcrutandae adverſatur cuique ſerio contemplanti difficultas. Quidni ergo erunt propterea hominum animae aut immateriales, aut ſpiritales? Non id ſane ſapientiores, ſed mediocres dumtaxat homines definiant, qui nedum forte altioribus dialectices myſteriis ſunt initiati. Sed ad eumdem ſcribendae hiſtoriae ordinem, unde pauliſper fuimus pro re nata digreſſi, illico regrediamur.

§ 48. Inter eos vero, qui luculenter Brutorum animam ſpiritalem eſſe ſibi caeteriſque perſuaſerunt, princeps jure meritoque eſt habendus doctiſſimus ille rerum cumprimis metaphyſicarum Auctor, atque Amplificator Antonius Genuenſis, qui elegantiſſimam ea de cauſa Diſputationem adornaſſe fama ubique conſtat pervagata (*b*); cujus hic verba exſcribere abſque ſupervacanea prolixitatis cenſura tamen non poſſumus. Non ipſe autem Genuenſis unus extitit, quomodo nuper expreſſam

(a) *Memoir. de Trevoux* 1737. *Octob. artic.* 102. *pag.* 1856.

(b) *Elem. Metaphyſ. Tom. II. par. II. pag.* 273.

Brutorum ſpiritalitatem demonſtraſſe commendavimus. Quippe celebratiſſimus Phyſices italice ſcriptae gloria Iacobus Maria della Torre non hujus ſolum ſententiam ſuffragio, argumentiſque ſuis auctam confirmavit, verum hanc etiam tanquam veroſimiliorem caeteris antiſtare debere pronunciavit (*a*). Quantum praeterea Poeſis Muſarumque praecepta patiuntur, ab eodem, quo iſti elucubrarunt, ſcopo nequaquam digreſſus eſt, eo quod in Brutorum cauſam conflavit ſuo elegantiſſimo Poemate ingenioſus non minus, quam doctus Benedictus Stay Caſſinenſis; cui item amplificando, illuſtrandoque acceſſere poſtmodum Clariſſimi Boſcovichii opportuna identidem Commentaria, quae pari cum Vatis mente greſſu poeticam orationem perſequuntur (*b*).

§ 49. Pro belluarum ſpiritali anima diſſeruerunt praeterea alii non pauci inter Orthodoxos Philoſophi ſequioris temporis decurſu, e quibus exhibere poſſumus prae caeteris afferendis celebratiſſimum illum de rebus praeſertim Biblicis Scriptorem Auguſtinum Calmetum (*c*), qui ſua in omnigenas diſciplinas amplitudine eadem de Brutis quoque docuiſſe, paucis immutatis, viſus eſt, quae a ſuperioribus mox laudatis Auctoribus Leibnitio, & Wolfio uberius fuerant elucubrata. Non deeſt quoque alter Calmeti locus (*d*), ubi Auctor eruditiſſimus quae

&

(a) *Scienza della Natura particolare num.* 711.

(b) *Philoſoph. Recen. Bened. Stay verſibus tradita Supplem. ad Lib. I. §. 1.*

(c) *In Dictionario Artic.* Beſtia.

(d) *Dictionar. Verbo* Samaritani.

& quot animantia inter Deorum apud Samaritanos ſymbola recenſerentur, quibus Religionis opera ii devoverent, fuſe proſequitur, aeneiſque Tabulis exhibet. Ad rem inſuper noſtam, & juxta Scriptoris ejuſdem mentem celeberrima illa conferret Draconis ejus hiſtoria, quem Babylonii omnes Daniele teſtante (*a*), ſacris ut Numen colebant, ipſumque a Daniele adipe, pice, piliſque invicem in maſſam commixtis interfectum non ignoramus, ut illius ſuperſtitioſae Gentis animum a tam nefario cultu removeret. Attamen iſthaec, ne huc impertinens noſtra videri poſſit oratio ipſa, longiorem per ſe ſe efflagitant dicendorum copiam, quae profecto nec praetemittenda ullo pacto ſunt, neque parum ſcopo prodeſſe noſtro cenſeri ipſa debent. Itaque eadem in proximum Commentariorum Caput compellenda eſſe & Operis ratio, & traditae ſuperius pollicitationes modo ſuadent, quemadmodum paucis deinceps hocce in Capite exactis ſolerter, quantum noſtra patietur exilitas, abſolvemus.

§ 50. De piſcibus autem ſcribentem deinde conſulamus D. Kleinium (*b*), quos induſtrios, ſagaces, acutis ſenſatiorum ictibus obnoxios, ac cognitionis ejus demum capaces fore decernit, quam hominibus etiam adjudicare poſſemus. Tantundem vero expreſſum colligere cuique fas erit ex ſelectiſſimis adnotationibus, quas D. Lionnet Inſectorum Theologiae admovere magna

(a) *Biblioteque Raiſonnée Tom. XLIV. Part. 2. pag.* 386.

(*b*) *Cap. XIV.*

gna conatus eſt ſedulitate, & judicio (*a*). De eadem cum Lionnetto opinione adverſus Buffonium, caeteroqui eruditiſſimum deque rerum naturalium ſcientia ampliſſime meritum, opinione ſcribentem Dom. de Condillac adire non pigeat (*b*), eumque perinde revolvere, Abbatem ſcilicet de Lignac, qui ſub Epiſtolarum ad Americanum ſchemate ejuſdem Buffonii circa pecudum animas philoſophiam e putidis Peripateticorum fontibus (proh dolor!) hauſtam evertit, eaſque non minus, ac homines ſpiritales eſſe egregiis invictiſque ſermonibus aſſerit (*c*).

§ 51. Juxta temporum rationem conſulendi modo conſequuntur alii nonnulli Philoſophi de Brutorum anima diſſerentes, qui iiſdem ſuarum operationum praeſidem moderatoremque ſpiritum a corporis natura diſſimilem prorſus attribuiſſe ex aequo leguntur. Horum itaque Scriptorum prior celebratiſſimus non minus quam impiiſſimus ille nobis occurrit Anglicus Hume, qui ex maxima hominum inter belluarumque corpora analogia ſimilitudinem cauſae in utriſque alicujus arguit, appoſite quidem & acute; a qua effectuum operationumque itidem ſimilium ratio in ambobus animantium generibus to-

(a) *Theologie des Inſectes avec des remarques de Mr. P. Lionnet Tom. I. Part.* 3.

(b) *Traite des Animaux.*

(c) *Suite des Lettres ad un Americain ſur le* 4. *&* 5. *Volumes de l'Hiſtoire Naturelle de Mr. de Buffon, & ſur le Traite des Animaux de Mr. de Condillac Lettre* 30. *& ſeq.*

tota dependeat. Omnia pecudibus Hume ipse concedit, quae hominis naturae suae jure sunt propria; si tamen ratiocinationum seriem, & systematum inventionem excipias, quibus condendis imparem esse omnino animalem decernit naturam. Quamplura in conflato a se Opere (*a*) legentium oculis ac meditationi obversantur, quae tum non satis constantia inter se apparent, tum falsa, impia, atque ad arbitrium ficta cernuntur: attamen utut de hujusmodi vitiis sit deliniendum; quae certe nec levia sunt, nec probo temperantique philosopho dissimulanda; illud quidem indubitatum existit Humio probatum, atque sancitum, quod potissimum causae spiritalium Brutorum admodum favet. Extra rationis limites abisse visus est Britannicus alter stylo nativo Auctor eo quem inscripsit Opere (*b*); neque minus ibi sacratissimo Trinitatis mysterio infensus, atque blasphemus apertissime constat. Verum nostra in praesens haud interest errorum monstra ex depravatis operibus decerpta notare, eaque singillatim refellere. Quoniam vero permulta ibi pertractantur vera non minus, quam rei nostrae admodum apposita, ad hujusmodi opus propterea convertimur, unde, sancta tectaque Religione Catholica, argumenti a nobis suscepti vim magis magisque augeamus. Silentio nihilominus praeterire debemus quotquot inveniuntur ab

Ano-

(a) *Essai Philosophique sur l'entendement humain, traduit de l'Anglois Tom. II.*

(b) *An Essai on spirit, Wherein the doctrine of the Trinity is considered in the leigth of nature and reason &c. &c.*

Anonymo Philoſopho pro animantium ſpiritalitate ſubtiliter diſputata, ne totius Operis ſpecimen Ephemeridum Scriptorum more contra inſtitutum noſtrum adornare velle videamur.

§ 52. Antequam vero in philoſophorum ſerie texenda ad noſtra pene uſque tempora extremum Capitis hujuſce complementum, & coronidem imponamus, operae pretium fore exiſtimo alios recentiores duos afferre Scriptores, qui conceptis verbis ſe pro Brutorum ſpiritu firma perſuaſione ſtetiſſe fatentur. Horum unus eſt ingenioſus ille Bougeantius ejus, quae olim, & paucos ante annos florebat, & ubique gentium magno dominabatur faſtu, & potentia, Societatis Scriptor (*a*); cujus certe a ſe conflati Operis conſilium haud illud, ut fas erat, Auctori ſuo obverſatus ſerio fuit, quemadmodum cupiam de re hujuſmodi graviſſima diſputatori objiceretur; niſi forte ludicra oratione atque intemperantiſſimo calamo eruditis omnibus tituli praepoſiti ſpecie deceptis abuti voluiſſet. Ridiculum prorſus Bougeantii ſyſtema (quod leporis animique levandi gratia Zaccharia audacter teſtante (*b*) conſcriptum defenditur) ſpiritalo in Brutis principium tuetur quidem; verum ita rem comminiſcitur omnem, ut in ipſorum corporibus non brutales animae, ſed totidem daemoniaci ſpiritus operationum miniſtri, ac praefecti verſentur.

§ 53.

(a) *Vide Amuſement Philoſophique ſur le langage des Bêtes.*

(b) *Storia Lett. d' Ital. Vol. III. Lib. I. cap. 8. pag. 276.*

§ 53. Extremum tandem in hac perſequenda veluti hiſtoria locum praeſtantiſſimo Viro Iohanni Lamio conſtituimus, cui ſecundum Florentia, olim ſcientiarum praeclariſſimarumque Artium Mater atque Magiſtra, diu fortaſſis hodierna hac aetate, atque deinceps haerens praeſtolabitur. Ille ergo in omni diſciplinarum genere ſummus, atque magnificus animantibus, poſtquam diu multumque rem penitius introſpexerat, intelligendi eam largitur jure facultatem, quae a caeteris nequit rationalium proprietatibus ſejuncta conſiſtere: quare ipſe pro ſua egregia in veritatum nexum conſtantia pecudum omnium animas tot tantiſque viribus inſtructas, quae corpoream quamlibet excedunt penitus conditionem, ad germani ſpiritus indolem attollit, iiſdemque immortalitatis nativum munus etiam impertiri nullatenus anceps formidat (*a*). Alia inſuper multo ampliora praeterire equidem debere me pro aequa brevitate ſentio, quae omnem oretenus de Brutis ab Lamio mecum familiariſſime colloquente acceptam philoſophiam ſpectant, cujus nihilominus ſumma ab aliis item audientibus ſaepe ſaepius percepta idipſum demum conficit, quod praeclaris verbis atque ſententiis ab eodem prolata, atque decreta diximus paullo ſuperius.

§ 54. Hactenus de philoſophorum egimus circa ſpiritalem belluarum animam unanimi in omne ferme tempus conſenſu: Qua quidem in re nec otium perdidiſſe arbitramur, nec minus ſatis Peripateticorum ineptiſſimae

(a) *Novelle Letterarie per l' Anno* 1761. *Firenze* 2. *Gennajo*, 20. *Febbrajo*, *e* 6. *Marzo*.

mae opinioni feciſſe dubitamus, quamprimum hanc cum tot tantiſque illuſtrium omnique exceptione majorum Virorum teſtimoniis contulerimus. Etenim ſi ab extrinſeco, ut ajunt, argumentationis robore res nobis ſolum eſſet decernenda, neque alia multo validiora forent adſciſcenda aliunde petita, quam a Scriptorum auctoritate, quiſquis jam perſpicit, haud leve profecto propoſito ſcribendi ſcopo pondus fore additurōs, ſi contra corpoream Scholaſticorum animam eorum aſſertis praehabenda eſſe voluerimus quaecumque ab iis excogitata, & tradita perpetuis produntur memoriis, qui naturae vim atque effecta patienti ſtudio, & ratione inveſtigarunt. Multa ab omnium aetatum Philoſophis prudenter fuiſſe & graviter diſputata, multa etiam breviter, & commode dicta, multa denique ingenioſe, & luculenter expoſita, qui fuerint fortaſſe inficiati, iſti certe non verbis, & ratione, ſed contemptu; ne verberibus, & vinculis dicam; coercendi videntur. Attamen longe gravior eſt diſputatio, quum non de unius, alteriuſve Philoſophi ſuffragio res eſt, ſed de univerſorum pene hujuſmodi Scriptorum unum idemque affirmantium placito quaeſtio vertitur, & eruditio. Ipſa nimirum naturae praeſcribit ratio, & diſciplina; ad quam non docti ſed facti eſſe videmur; ut quae viri graves, ingenioſi, eruditi acute diligenterque tradiderint, eadem omnes litteris non abutentes continuo excipiant, mente complectantur, iiſque proinde antiſtare curent, quae ab aliis paucis contra conſignata perperam fuere, a quibus fieri nequeunt doctiores, ac prudentiores. Nihil itaque inſanius intercedere nos inter, & Peripateticos poſſet, ſi

in

in belluarum animae inveſtigatione eruditioneque paranda eos negligeremus Auctores, qui & ſummo ingenio, ſingulari cura, & diuturni temporis experimentis in cognoſcendis Brutorum animabus elaborarunt; rectequе propterea quum hic, tum in omni philoſophia perdiſcenda ſcientiae hujus profeſſoribus in eamdem praeſertim ſententiam conſpirantibus fidem habeamus oportet, neque proinde ſingularia debemus placita communibus anteferre; quemadmodum Theodoretus etiam magna exemplorum vi patefecerat olim, atque monuerat (*a*). Quamobrem id quidem non eſt dubium, quin verum & ſatis exploratum ſit, pecudum animas ſpiritales non ſecus atque homines res percipere, de iis deliberare, eaſque perinde expetere, de quo omnium Philoſophorum natura conſentit. Quomodo enim homines, & ambitioſi honoris, & gloriae, & caeci fere opinionum carpendarum cupiditate, & plurium ſaeculorum varietate maximiſque locorum intervallis disjuncti in hanc unam, quam hactenus ex eorum ſcriptis exhibuimus, perſuaſionem concurriſſent, niſi in eamdem veluti naturae conſpirationem impulſu quodam, & evidentiſſimae veritatis ſtimulis accedentibus acti fuiſſent? Quae profecto etſi majori philoſophicae eruditionis ubertate abſolvi a nobis potuiſſent, quam quae priori hocce Commentariorum Capite comprehenſa breviter eſſe voluimus, ea tamen ſatis ſuperque expoſita fuiſſe confidimus, ut inde pateret, communes ſapientum conceptiones non minoris eſſe faciendas, quam ſi univerſorum hominum eſſent communes; & Peripateticorum de pecudum anima ſententias

(*a*) *Lib. I. de Graecor. affect. curat.*

tias tanquam deliramenta, & nullius pretii dicta fore dubio procul habenda. Utriuſque propoſiti veritas critices ſolum animadverſionibus, atque illo argumentationis genere, quod extrinſecum vocant, detegenda nobis fuerat; quemadmodum haud diſſimili orationis methodo alia perinde nonnullis proximis ſuccedentibus Capitibus perſequemur; donec illa tandem attingamus, quae intimam rei noſtrae indaginem, preſſioremque ab altioribus phyſices myſteriis diſputationem efflagitabunt.

CA-

CAPUT II.

Totius humani generis omnium temporum ſuffragatur conſenſus, quum de immateriali Brutorum cognitione inſtituitur inquiſitio.

I nemo aequius belluarum animam valet internoſcere, atque ab eo fonte ita petere argumentationes ſuas qui Scholarum effato extrinſecus eſt, ut pro ea adſerenda vehementer triumphet, quam ſi ad univerſalem hominum conſenſum gentium omnium, ac temporum ſermocinationem ſuam pertinere curet; ideoque efficiat, ut ſpiritalis illa naturae totius veluti voce adſtruatur; ſupervacaneum fore propterea reor lectorem pluribus modo erudire quantopere hujuſmodi vox ſapientiorum judicio ad fidem faciendam reipſa conferat: quare hujus ſuadendae omni cogitatione penitus abjecta illud

lud continuo adgredior, quod fuit paulo ante maximopere propoſitum.

§ 56. Nunc itaque operae pretium eſſe exiſtimo tanquam ratum confirmatumque tenere, apud cultas omnes, & barbaras etiam nationes illud pro Numinibus religioſe colendis in maximo pretio fuiſſe, quod ſui excellentem ingeneraret mentibus opinionem, quod caeteris rebus praeſtaret humanis, quod univerſum ſuo regeret, atque adminiſtraret imperio, quod ut nulla re indigeret, ita maxima ſui poteſtate omniumque rerum copia ſingulis opitularetur exorantium egeſtatibus, quod demum illud ſapientia tantum, & ingenio polleret, quantum caeli teraeque ordinata varietas, ac mirus plane univerſorum concentus in regimine promovendo rationis, ac conſilii efflagitare videretur. Itaque ſi terras pene omnes, ut animo, ſic etiam oculis luſtrare, gentiumque orientalium potiſſimum, vel ſtudia, vel mores propius inſpicere, ſingularumque colligere per nos ipſi ſententias facili negotio potuiſſemus olim; quomodo monumentorum praeſidio, quae a veteribus Philoſophis poſteritati ſunt relicta, inpraeſens contemplari commode valemus; non eſſet alia ratione nobis in inveſtiganda ea de Brutorum natura opinione laborandum, quam priſcae aetatis nationes permultas perſuaſione, & ſacra etiam conſuetudine fuiſſe amplexatas hiſtoricorum litterae docent, de quibus non ſine temeritate dubitare nequimus. Attamen, quum hiſtoriis ſolum omni exceptione majoribus contenti modo eſſe debeamus, quo rem hanc definire poſſimus, ita retroacti temporis populos quamplurimos, ne dicam univerſos, indoctos, atque ſapientes in

tan-

tanta pro ſpiritualibus belluarum animabus, tamque firma opinione fuiſſe pervideo, ut tanquam Numina perpetuo coluerint, pro iis ſacra & caeremonias inſtituerint, & quae reliqua ſunt ad Relligionem condendam neceſſaria. Quid porro Arae ſibi, quid Delubra, quid Nemora, quid vota animantibus effuſa volebant, quid preces, quid totus rituum ſacrorum apparatus, quos ubique viguiſſe deprehendimus, declarat, niſi aliqua a populis haec uſurpantibus ſpectari, quae magnam gererent rerum ſuarum aſſiduamque curam, quae bene promeritis caperentur, quae poenas, quae praemia dividerent, quae ferrent implorantibus opem, quae denique cuncta virtute, conſilio moderarentur ſuo Sapientiſſima, ac Praepotentia Numina? Quae quum ita eſſe totius antiquitatis ſuffragentur memoriae, atque ad divinam uſque naturam elata animantia univerſa fuiſſe doceamur, haud certe difficile erit ingenuo lectori futurum libenti perſuaſoque nobis animo dare, recentiorum de Brutorum ſpiritalitate ſententias cum veterum nationum eadem ſuper re placitis omnino conſentire.

§ 57. Haud profecto nos ea latet ſuſpicio, quae ab indoctis nec acutis quibuſdam diſputatoribus afferri fortaſſe valeret; hominum videlicet genus univerſum in ſententias de natura Divinitatis admodum varias, diſcrepantes, & abſurdas facillime ſcindi conſueviſſe, quas inter recenſeri non abſque humani ingenii probroſa nota debeat, quae in ſupremam Numinum majeſtatem extulit animantia; neque tamen a fatuis id genus reprobandiſque cogitationibus inferri legitime poſſe, Bruta reipſa in ſpirituum claſſem referri debere; tametſi Nationes bar-

barbarae, atque incultae, ſive ferarum potius quam ſapientum more vitam degentes, eo uſque furere incredibili veſania paſſae fuerint, ut in tot partirentur Deos, quot belluarum ſunt genera, quae rationalium ritu vivere, & cogitare videntur.

§. 58. At de hac difficultate aliquid eſt, quod jam in hoc Capite primum commentemur, antequam propoſitum noſtrum experiri aggrediamur. Equidem non inficior ſtultitiae maximum, atque impietatis ſupremum eſſe argumentum illud belluis velle per ſummam nefariamque inſcitiam attribuere, quod etiam indigniſſimum eſſet vel multo perfectionibus rebus adjudicare. Verum non hic de jure deque dogmatis hujuſce ratione a nobis quaeritur, ſed de re tota eſt diſputatio. Sane quod unanimis hominum concorſque ſententia Bruta velut Numina colenda eſſe aliquando ſtatuerit, eſt veritas, quam facti tum Jureconſulti, tum Critici appellant. Si igitur animantia omnia ita perperam exiſtimabantur antiquitus, mente tamen atque omniſcientia carere ipſa nullatenus poterant. Quis autem neſciat, id nobis ſolum inpraeſens verum eſſe, quod teſtibus in medium allatis probetur iis, quorum neque fides, neque ſapientia nutet aliquando? Porro qui generis humani communi quaſi decreto, quod pecudes Deorum immortalium veneratione dignae habitae ab innumeris gentibus fuerint, declarari confirmant, ex omni memoria ſunt aetatum, temporum, civitatum Viri graviſſimi, quorum in monumentis colligendis diligentiam, neque fidem in afferendis, neque prudentiam atque doctrinam in explicandis deſiderare poſſis. Itaque quum permulti Scriptores aperte docuerint

rint, ab omnibus ferme regionibus retroactis temporibus divinam in Brutis agnitam cultamque fuisse aliquo modo substantiam, quid aliud cuipiam credere permittitur, quam eas belluas veterum judicio spiritalis indolis esse prorsus, quae supremam ab iis observantiam excipiebant. Expendendum supereſt ergo, an rem ita se habere perspicue videamus; an inquam vetusti, quod firmum esse asseruimus, Auctores diserte testentur: in qua certe amplissima peragranda provincia non eum consectabor orationis ordinem, ut de quadrupedibus primum, de avibus deinde, deque piscibus demum majorum nostrorum testimonio sim loquuturus, quomodo posteriori Capite faciendum esse existimavi; verum ad solipedes aliquando, atque inde ad aves, nunc ad bisulcas, nunc ad multifidas belluas, deinde ad pisces, postmodum ad insectorum genus vario sermone me forsitan convertam; quò potissimum juxta scopum nostrum in universum animantium regnum Relligio olim, & nunc etiam a populis bene multis instituta ostendatur, atque in longa nepotum successione devotissime custodita.

§ 59. Principio itaque superstitiosam Aegyptiorum gentem, aliasque Orientales finitimas animantia pro Diis habuisse exhibeam, antequam caeteros Orbis populos sub eadem rerum specie proponam. Ad rem porro spectare non arbitror qua via, & ratione tam turpis in eas, & tam late patens Nationes Idololatria fuerit mirum in modum progressa, ac continuo ex Strabonis fide omni exceptione dignioris consentaneum est auspicari. Hujus illustris patet locus e graecis fontibus in latina conver-

sus (*a*). *Sunt quaedam animalia* (ita scribit), *quae Aegyptii colunt universi; ut de terrestribus tria, bovem, canem, felem; e volatilibus, accipitrem, atque ibim; ex aquatilibus duo, lepidotum* (sive squammatum) *piscem, & oxyrynchum. Sunt & quae seorsim coluntur. Sic Saitae, & Thebani, ovem; Latum vero, qui piscis quidam est in Nilo, Latopolitani; Lupum Lycopolitani, Cynocephalum Hermopolitani, Cepum Babylonii qui sunt juxta Memphim. Cepus faciem habet Satyro similem, caetera inter canem atque ursum; in Aethiopia nascitur. Aquilam Thebani, Leonem Leontopolitani, Capram, & Hircum Mendasii, Mygalem Athribitae, alii aliud. Caussas vero adferunt inter se non consentientes.* Bovem ab Aegyptiorum vulgo tanquam Numen veneratum testatur quoque Plinius (*b*); cui ritè colendo Sacra in Templis dicari praeterea docet. *Bos in Aegypto etiam* (ejus sunt verba) *Numinis vice colitur: Apim vocant.* Et mox subdit: *Sunt delubra ei gemina, quae vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse laetum est, in altero dira portendit. Responsa privatis dat, e manu consulentium cibum capiendo. Germanici Caesaris manum aversatus est, haud multo post extincti. Caetero secretus, quum se proripuit in coetus, incedit summotu lictorum, grexque puerorum comitatur carmen honori ejus canentium.* Feles autem in divino honore in omnibus Aegyptiorum terris habitos refert Herodotus (*In Euterpe*), qui addit praeterea, eos, ut primum domibus interierant, solitos saliri, atque ita Bu-

ba-

(a) *Lib. XVIII.*

(b) *Lib. VIII. Cap. 46.*

baſtim deferri, ut ſacra in Urbe ſepelirentur. De hujuſmodi in Aeluros ſive feles ejus gentis Relligione teſtem quoque Tullium poſſumus advocare (*a*); cui inſuper adjiciendi ſunt Diodorus Siculus (*b*), Juvenalis (*c*), atque Plutarchus (*d*). Qui item ſub Clementis Romani nomine *Recognitionum* vulgo cenſetur vetus Auctor eandem Aegyptiorum narrat veſaniam, quae cum dictis huc uſque conſentit omnino. *Alii Aegyptiorum bovem* (*e*), *qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii Hircum, alii Gattas; nonnulli Ibim, quidam Serpentem, Piſcem quoque, & Caephas, & Cloacas, Crepitus ventris pro Numinibus habendos eſſe docuere, & alia innumerabilia, quae pudet etiam nominare.* Simias inſuper, & Cercopithecos ab eadem natione in Deorum concilium; quippe animantia admodum ingenioſa; fuiſſe relata conſuli poteſt Iuvenalis (*f*): quod etiam ab aliis aſſertum Scriptoribus, atque probatum oſtendi haud difficulter poſſet, niſi aequo longiores eſſe vereremur. Capreas, abſque ulla tamen hircorum exiſtimatione, ab Urbis Copti incolis divinis proſequutas honoribus fidem facit Aelianus (*g*), quorum e graeco verba ſubjiciunt: *Copti ex Capris feris faeminas colunt; divinitatem etiam iis tribuunt: mares autem comedunt; faeminas vero ajunt, eſſe oblectamentum ac delicias Iſidos:* tametſi alii ex to-

(a) *De Legibus Lib. I. De Natura Deorum Lib. I. Quaeſtion. Tuſcul. Lib. V.* (b) *Lib. I.*

(c) *Satyr. XV.*

(d) *Sympoſiacon Lib. IV. Quaeſt. V.*

(e) *Lib. V.* (f) *Satyr. XV.*

(g) *De Animalibus Lib. X. Cap.* 23.

ta Aegypto populi hircos etiam pro Numinibus habuiſſe, legi poteſt apud Maximum Tyrium (*a*); cujus rei praeterea cauſſam exponit Diodorus Siculus (*b*) hiſce verbis: *Hircum inter Deos retulere ob genitale membrum: ſicut Graecis propterea ajunt venerationi eſſe Priapum:* Alia plura Brutorum genera apud Aegyptiorum gentem, quadrupedum, avium, & aquatilium infra Deorum cenſum fuiſſe, & magnis Relligionis obſervantiis alte ſuſpecta, res eſt exploratiſſima juxta omnium Scriptorum fidem; quòd exinde ingens haurire ſe poſſe commodum atque aemolumentum arbitrarentur, ut diſerte Tullius affirmat: *Ipſi, qui irridentur Aegyptii, nullam belluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt* (*c*): *velut Ibes maximam vim ſerpentium conficiunt. Poſſum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere; ſed nolo eſſe longior. Ita concludam tamen, belluas a barbaris propter beneficium conſecratas.* Verum ab hujuſce Nationis ineptiſſimo in belluas cultu in alias tranſmigremus oras, in quibus ſimilis viguerit in hujuſmodi Numina exiſtimatio.

§ 60. Si Democrito hiſtorico apud Suidam danda fides eſt aliqua, quemadmodum decere videtur, Judeorum genus quorundam animantium veneratione captum fuiſſe docemur. Aſinos ac ſues potiſſimum ab aliquibus ejus nationis adoratos, & cur utrumque animal ab iis honorum divinorum ſignificationibus ſpectaretur olim, aperte

(a) *Serm. XXXVIII.*
(b) *Bibliothecae Lib. I.*
(c) *Ita laudatus Auctor de Natura Deor. Lib. I.*

aperte explanat Plutarchus (a): *Ac fortaſſe id ratione nititur; ut ſicut aſino, quia fontem iis aquae commonſtravit, ſic & ſui, quia ſationis, & arationis eſt magiſtra, cultus apud eos ſit religioſus.* Ab Aegyptiis tamen, qui certe principes hujuſmodi cultus propagatores habiti facile ſunt, ad aliarum gentium ritus hac ſuper re inſtitutos dicendo progrediamur, & quid Judei reipſa de Sue & Aſino ſenſerint Criticis interea ſeverioribus maturius diſquirendum committamus.

§ 61. Eorumdem Aegyptiorum exemplo ſive traditionibus Pithecuſii Simias colere, ac pro Numinibus venerari caepiſſe a Diodoro Siculo ſcribuntur. *Eaſdem domos Simiae* (hujus en verba e graeca origine accurate converſa) *quas homines frequentant, & pro Diis habentur apud illos, ut apud Aegyptios canes. Paratos etiam in cellis panariis cibos, quandolibet nemine prohibente, hae beſtiae ſumunt, nominaque, ut plurium, a Simiis, ſicut apud nos a Diis, parentes liberis ſuis imponunt. Qui animal hoc interfecerint, in eos ut nefariae impietatis reos, ſupplicio capitis animadvertitur. Ideo apud nonnullos proverbii vicem obtinuit, quod in magnifice ſe efferentes dicitur: Simiae cruorem bibiſti.*

§ 62. Magna item fuit priſcis temporibus ad noſtrum uſque ſaeculum in India Orientali in Cercopithecos obſervantia: quam perinde in Boves ibidem non minorem fuiſſe, diſerte Scaliger adverſus Cardanum affirmat (c). *Quemadmodum Iſis olim ab Aegyptiis, ita nunc*

(a) *Sympoſ. Lib. IV. Quaeſt. V.*
(b) *Lib. XX.*
(c) *Exercitat. 258. Sect. I.*

nunc ab Indis, qui Cuchin regnum incolunt, Bos peculiari cultu pro Deo habetur, & nuncupatur Tamharan. Cui veteri cultui novus hic ut respondet, ita priscum Graecorum institutum novi memoria representatur in Coloim, quae ab aliis locis haud multum distat Orientem versus. Haec quidem divinae in haec animantia venerationis ex veterato Indorum more confirmatae perspicua commemorati Scriptoris sunt verba: attamen ad Cercopithecos redeamus. Scilicet Balbus imprimis in eo, quod italice prodidit, rerum multarum, & magnarum Itinerario majori qua per sese potuit tum sedulitate, tum fide & judicii acie collecto, a se, dum Macaum inter & Pegu medium iter perageret, visa fuisse testatur Idola permulta, quae vulgo *Pagodi* iis Regionibus dicuntur: inter ea vero innumera pene reperisse Cercopithecorum simulacra in sacris earum Gentium Fanis elata; secus autem eorum fores, seu in eorumdem viciniis ipsamet Bruta viventia servari alligata tradit, quae cum honore & tanquam Numina ab Indis suspici, ad eaque praeces fundi semel iterumque testatum habet.

§ 63. Aequa nobis sese offert a Iohanne Ugone Linschotano tradita in Simias ab iisdem Populis impensa Religio; quae Cercopithecis simillimae cuique videntur. Id Lusitanis anno 1654. compertissimum fuisse ab eodem Scriptore edocemur, quum ipsi post captam Seylon Insulam Templum in summo Adamitici Montis vertice magnifice extructum vastare, ac ejus pretiosa quaeque diripere adorsi sunt. In eo itaque, ad quod ingenti multitudinis frequentia, tanquam ad divinitatis perfugium Insulani adscendebant illi, quorum ibi etiam sacra omnia

nia celebrabantur, nihil victores inveniſſe feruntur, praeter Ciſtulam quandam calathi inſtar auro gemmiſque fulgentem, in qua Simiae Dens caute recondebatur. Hunc igitur abſtuliſſe Hugo narrat, quem incredibili Regulorum maerore inde adſportandum quum ii decreviſſent, miſſi a Seylanis legati continuo ſunt, qui Luſitanis pro eodem Dente redimendo ſeptingenta Ducatorum millia ſolverent, ne tantum divinae ſubſtantiae pignus per ſummum dedecus pollueretur. At de Indorum moribus jam pro noſtra brevitate ſatis: nunc autem ſacrum Graecorum cultum tantiſper inveſtigemus.

§ 64. Muſtelas coluiſſe Thebanos, eaſque pro totidem Diis habuiſſe teſtem afferre poſſumus Aelianum (*a*): qui praeterea Tenediis mures ſacros fuiſſe ibidem ſcribit. Samiis quoque Oves pro Numinibus fuiſſe, Delphiis Lupos, Ambraciotis Leaenas; praeter alios, quos ſilentio praeterire conſulto volumus; idem nobis praeclarus omnique exceptione major Aelianus Auctor eſt. Idem Plutarchi (*b*) teſtimonio aſſeramus oportet de Echinis terreſtribus, quos velut Deos tota Zoroaſtris Schola imprimis venerata eſt.

§ 65. Creberrimae item occurrunt aliorum Scriptorum memoriae, quae Nationum pene univerſarum exhibent, in excolendis ſacra obſervantia non quadrupedibus ſolum, verum etiam volucribus, ſerpentibus, piſcibus mirum plane conſenſum, quorum teſtimonia brevitatis cauſa praetermittimus. Earum vero praecipui haben-

(a) *De Animalibus Lib. XII. cap. 5.*
(b) *Sympoſiacon lib. IV. Quaeſt. V.*

bentur pro retroacta antiquitate teſtes Clemens Alexandrinus, Euſebius, Strabo, Plutarchus, Plinius, Diodorus Siculus, aliique non pauci, quorum plerique, tametſi ethnica ſuperſtitione occupati tam late pervagatam in toto pene orbe Brutorum Relligionem haudquaquam ſenſu intimo, & ſincera perſuaſione commendarent, quid nihilominus omnium gentium vulgus de animantium natura ſentiret perpetui fuere ipſi atque conſtantes, ut ſcriptis exacta fide conſignarent.

§ 66. Antequam vero ad Romanorum in Relligionis negocio mores, & ad Romae delubra & ſimulacra accedamus, praetereundum haud fore arbitramur qua (licet foeda) ſuperſtitione Mexicani tenerentur, ex Paulo Griſſaldo, heic referre (*a*); ſcilicet Veſpertiliones iis Populis ſacri adeo elapſo ſaeculo viſi ſunt, ut eos velut ſuprema Numina celebrarent, atque in magnificentiſſimis Aedibus cuſtodirent. Quae ſane ut in ea Orientali plaga, ita etiam in reliquis hucuſque commemoratis nationibus tantam in Bruta venerationem non comitarentur, niſi omnes animo ab ipſo nutricis lacte altius imbibiſſent, omnia & ſingula animantia iis reipſa mentis potiſſimum characteribus ſupra quaeque alia pollere, qui Deorum immortalium majeſtatem apprime decerent.

§ 67. Haud igitur mirum cuipiam ſapienti erit certe futurum, qui Romanae Reipublicae Relligionem ex omnium exterarum Gentium ritibus collectam, permixtam, atque congeſtam contemplando varium perinde animalium genus in ejus ſacris, caeremoniis, ſymbolis, Templorum

(a) *Hiſtor. Indicae Lib. 3.*

rum insignibus, Lucis, Atriis, Numismatibus, aliisque similibus facile detexerit, quibus maxima ejus Gentis Italiae totiusque etiam orbis Reginae celeberrimae Theologia constabat, & omnis pene Pontificum, Augurum & Aruspicum scientia continebatur. Quamquam hoc in loco quae ad Romanorum consuetudines sacras spectant potiora quaedam praetereunda non esse arbitramur, ne argumentum nostrum ab inductione petitum mutilum sit, & nobis ab adversariis velut inane tandem objiciatur. Mihi quidem inductio illa completa esse videtur, cui nihil ex iis desit, quae a celebriorum Gentium historia mutuamur, unde hoc in negocio inferre demum valeamus, omnium populorum consensum belluarum spiritalitati adstipulari, quotiescumque ii plerique ad Bruta sacra veneratione quoquomodo prosequenda mira plane concordia conspiraverint. At de hoc alibi opportunius: nunc ad gentis nostrae mores, & placita exponenda convertamur.

§ 68. Sed priusquam singula pene animantium genera, quae Romanis olim sacra fuere, percenseamus, aliquantisper in eo laborandum putamus, ut Marci Tullii judicio (a), tria illa Numinum pervulgata aeque genera constituantur, quae toto qua patebat eorum Imperio magna Relligione spectabantur. Horum quaedam Caelestia Numina sive *Consentia*, alia *Indigeta*, alia demum *Laudabilia* dicebantur: quae duo posteriora versare quum ad nos minime vel parum pertinere videantur, priora solum pro re nostra usurpabimus. Porro *Consen-*

(a) *De Legibus Lib. II.*

ſentes Dii Romanis duodecim fuere, quorum ſex Mares totidemque Foeminae duodenarium numerum ex aequo complebant. Inter Mares princeps Juppiter, frater ejus Neptunus, ac liberi Jovis, Apollo, Mars, Vulcanus, & Mercurius cenſebantur: Foeminae autem inter Deas relatae hiſce vocabulis Juno, Veſta, Ceres, Diana, Minerva, Venus appellari ſolebant. Attamen quid haec cum Brutorum cultu commune habeant neceſſum eſt ut aperiantur.

§ 69. Itaque qui a noſtris Iuppiter priſcis temporibus colebatur, quum ethnicae ſuperſtitionis feditate delectabantur, Aquila quoque, tanquam avis illi maxime ſacra, magna honoris exiſtimatione ſuſpiciebatur, quippe in illa velut Numinis majeſtatiſque ejus ſymbolum, atque imaginem ipſi ſpectarent. Hujuſce religioſi ritus geminam exponit cauſſam Euſtatius (*a*), quae in unum idemque cum ſcopo noſtro ſenſum conformari legenti patet. Similia caeteri fere omnes, qui de Ethnicorum Religionibus litteris cogitationes mandaverunt ſuas.

§ 70. Iidem praeterea, qui in Conſentium Deorum veneratione toti erant, non Neptuni ſimulacra ſolum affabre efficta, & varia ornamentorum expreſſione decorata adoraſſe publice in eorum fanis leguntur, verum etiam in pluribus animantibus illius divinitatem agnoſcebant, iiſdemque vota fudiſſe ipſamet, quae Maris Numini, res eſt graviorum Scriptorum teſtimonio confirmata. Inter ea vero ex quadrupedibus Equum Neptuno devotum fuiſſe, atque ideo ab iis Populis perinde exo-

(a) *Iliad. pag. 87. Edition. Rom.*

exornatum, teſtis eſt Virgilius (*a*): in quem locum Servius ethnicae doctrinae myſteria ſelectis animadverſionibus plura ad rem docet. Quae autem fuerint animantia reliqua ejuſdem Numinis ſymbola conſuli libere poſſunt in aliis, qui in Mythologia & in omni Gentium Theologia ita praeſtantes ſunt, ut nihil in iis deſiderari valeat, in quo debeant accuſari (*b*).

§ 71. Magnum inſuper cauſſae noſtrae praeſidium in eo poſitum eſſe putamus, quòd alia fuerint tum Graecis, tum Romanis animantia Apollini ſacra, quae teſtibus in medium prolatis omni exceptione majoribus culta a noſtratibus oſtendantur. Lupum hujuſce Numinis ſymbolum eidemque dicatum, ipſumque adorationis obſequio proſequutum, Aelianus eſt Auctor (*c*); quem Euſtatius item ejus ritus cauſſam afferendo comitatur. Ex avibus autem Apollini ſacri haberi ſolebant Cygnus, Corvus, Accipiter, Gallus, horumque Sacramenta explicant Euſtatius ſaepe laudatus, Apulejus (*d*), Pauſanias *in Eliacis Prioribus* (*e*). Eidem Divinitati attributum fuiſſe praeterea ex piſcibus Thynnum, atque in ſacris adhibitum ex Antigoni Caryſtii Libro de Dictione docuit Athaeneus (*f*).

§ 72. Iſtis autem omnino ſimiles illi ritus in beluis excolendis dicendi ſunt, qui circa ea verſabantur ani-

(a) 1. *Georgic.*

(b) *Euſtatius ibid.*, *Athaeneus Lib. VII. cap. 7. pag.* 282., *Pancreas Arcas in libro, quem Marina Opera inſcripſit, Homerus Iliad. XI.*

(c) *Hiſtor. Animal. lib. XII. cap.* 40.

(d) *Floridor. lib. II.* (e) *Lib. V.*

(f) *Lib. VII. cap.* 20.

animantia, quae Marti adjudicabantur. Vultur imprimis huic numini ſacer, Phurnuto teſte (*a*), praedicabatur, atque ab ethnicis noſtris inter religioſas obſervantias legitur amandatus, quod ejus rapacitas tanta ſit, ut infectetur corpora, quae bello ceciderunt. Picum quoque e volatilium regno; non hyperboreum ac fabuloſum illum, quem *Griphem* vulgo dicimus, ſed obvium ac naturalem, Plutarcho ſuffragante (*b*), ad idem Belli Numen pertinere novimus. Sed & illud hic addere juvat ex alterius Operis Plutarchi teſtimonio (*c*); Romanos videlicet volatile hoc animal idcirco in ſacris habuiſſe caeremoniis, & ab illius eſu magnopere caviſſe, quod audax, & viribus validum ſit; ac proinde Martis ipſius ſymbolum, & imago iis facile conſpicienda offerretur.

§ 73. Sed ex iis, quae hactenus ſunt de animantibus illis ſcripta breviori qua potuimus oratione facilis lectori patet ad caetera percipienda aditus, quae reliquis Numinibus Conſentibus erunt deinceps accommodanda. Mercurio videlicet Spinum avem ſacrum fuiſſe, atque ad hunc Religionis honores olim relatos affirmat Aelianus (*d*). E piſcium genere apud Athenaeum (*e*), atque Euſtatium Boax legitur ad Mercurii ejuſdem cultum ſpectare: *Mercurio ſacratus Boax, ut praeconi, ob clamorem, unde & Bootes praeconis nomen;* ita poſterior laudatus Auctor (*f*).

§ 74. Lon-

(a) *De Natura Deorum.*
(b) *In Romulo.*
(c) *Quaeſt. Romanar. Sect. XXI.*
(d) *De Animalibus lib. X.*
(e) *Lib. VII.*
(f) *In Iliad. pag.* 87.

§ 74. Longius hac in re progreditur oratio quum Deas etiam, earumque animantia pergimus juxta propositum enucleare, ne quid infra brevitatis nostrae fines pro absoluto inductionis argumento deesse cernatur. Iuvenca, Ovis, Capra ex quadrupedibus, ex alitibus vero Pavo, Anser, Cuculus, Monedula, Struthiocamelus, atque Ciconia tot erant Bruta, quibus Junonis festivae celebritates & sacra fiebant, quibusque Religionis jura solvebantur. Horum qui expostulet testimonia colligere, & Scriptorum fontes adire, unde hujusce veritatis hauriat narrationes, Wossium consulat eruditissimum de Gentilium superstitione fuse scribentem (*a*).

§ 75. Haec omnia admodum probabilia dicuntur, & rei praepositae optime consentanea sunt; tametsi populorum illorum vel impietas, vel stultitia nobis satis superque sit cognita. Quis neget id totum vesania & mentis perversitate vel maxima contineri? Non tamen, si verum fateri volumus, nunc illud constare non debet, in ipsa errorum pravitate, & cultus faeditate universas Gentes, nedum Romanos, Bruta permulta, quum divinitate gaudere opinabantur, tanta animi dignitate reipsa praedita sibi persuasisse, quanta velut Dii totidem sua curarent omnia, ad exorantium vota praecesque flecterentur, & insita eorum naturae divinae bonitate capti gratia, & obsequiis deliniti bona mortalibus impertirentur, ab iisque mala propulsarent. Sed propositi ordinem repetamus.

§ 76. A Junonis animantibus ad alia veniamus necesse est, quae caeterarum Consentium Dearum propria

(a) *Lib. IX. cap.* 21.

pria esse vetustis dicebantur, iisdemque sacrorum ritibus quibus illae, a Romanis coli solebant; ut, hisce exactis, majora adhuc ejusdem generis absolvantur: quippe aliae Gentes praeter illas similis pene impietatis accusantur, ac adeo depravatis hac in re opinionibus imbutae, ut belluas sacris institutis, & positis etiam altaribus venerari non erubuerint. Quae Cereri sacra olim haberi a nostris solerent ex quadrupedibus animantia, nonnisi obiter dicere attinet, quod disertissimis narrationibus apud Catonem (*a*), Agellium (*b*), Porphyrium (*c*), atque Eusebium (*d*) descripta exhibeantur. Ex avibus autem Turtures albi, necnon Grues pro una eademque Relligionis in Cereris Numen materia, Aeliano (*e*), & Athenaeo (*f*) docentibus, ethnici nostri usurpasse scribuntur. Obvia pene omnibus sunt, quae Minervae adjudicari sub animantium schaematibus symbola antiquitus solerent, quaeque sacris honoribus dignarentur. Noctua cumprimis, Aristophanis testimonio (*g*), Divae hujusce emblema ferebatur, in cujus simulacri capite quandoque imposita, aliquando vero ad illius pedes haec effingebatur. Vitulum alterum perinde ejus divinitatis symbolum notare atque religiosis obsequiis prosequi penes eos Idololathras, docente Arnobio (*h*), mos erat, ut

alia

(a) *De re rustica cap.* 134.
(b) *Lib. III. cap.* 6.
(c) *In Libris Responsor.*
(d) *Praeparat. Evangel. Lib. IV.*
(e) *De animalibus cap.* 40.
(f) *Lib. VII.* (g) *In Avibus.*
(h) *Lib. VII.*

alia brevitatis ergo animalia diverſi inter ſe generis ſacra praetereamus ſilentio, quorum meminere Ariſtoteles (*a*), Agatharchides (*b*), atque Euſtatius loco ſaepe laudato.

§ 77. Conſonant haec, aut illis proximè accedunt quae Pauſanias (*c*) de Dianae Simulacro diſerte habet: ſcilicet quum Divam deſcribit cervina pelle indutam, cujus una manus lampadem, altera dracones geſtaret geminos, atque ad ejus levam canis adſtaret venaticus. Canes iterum, & Cervi pro venerandis Dianae ſimbolis exiſtimati a Veteribus fuiſſe traduntur; quemadmodum meminit Apulejus (*d*), & Ovidius (*e*). Ex Piſcibus autem Mullus Dianae ſacer ab Athenaeo (*f*) conſignatur; & de Paguro Capacii Viri magna fide digni verba lubet in praeſens exſcribere: *Pagurus item Dianae ſacer eſt, quoniam inter venatores teſtaceos numeratur, ajuntque eum praecipue vim Lunae ſentire, qua creſcente ſucculentior fiat, & melior. Aliqui Apollini ſacrum faciunt, quoniam Muſica delectatur. Apud Myſtas prudentiam Pagurus ſignificabat, ideo Dianae Epheſiae collo fuit ſuſpenſum, & apud Brutios Dianae caput Paguro ornabatur. Prudentiam ea de cauſa illi tribuunt, quod quum cruſtam exuit, veluti armis ſpoliatus latet, viribuſque diffiſus nullos aggreditur, donec novam recuperaverit.* Sic ille (*g*). Hinc ergo conſequitur

(a) *Hiſtor. Animal. Lib. IX. cap.* 1.
(b) *Lib. de Mari Rubro apud Photium in Biblioth.*
(c) *In Arcadicis.* (d) *Metam. Lib. XII.*
(e) *Faſtor. Lib. I.* (f) *Lib. VII.*
(g) *Hiſtor. Neapolit. Lib. II. pag.* 645.

tur, ut quicumque ex Romanorum ethnicis Pagurum velut Numen aut Numinis ſymbolum prudentia praeditum venerari ſtuderent, optimae ſimul praeſtantiſque Naturae notionem animo ipſi conceptam in eodem animante ſibi comminiſcerentut, quem laudibus diviniſque obſequiis dignum putarent. Etenim, ut detracta prudentia reliquae omnes animi virtutes, & Numinis dignitas, quin & caetera tandem omnia corruant oportet, ſine quibus neque meliorem homine Deum, neque fortaſſe praeſtantiorem Brutis animantibus intelligere quiſquam poteſt, ita quis eorum eſſet animus facile conjicere debemus, qui & animantia Dianae conſecrata, & reliqua etiam aliis Numinibus devota colenda fore tum verbis, tum religioſa caeremoniarum conſuetudine teſtabantur.

§ 78. Sed jam extrema Brutorum exempla attingamus neceſſe eſt, quae ad Venerem relata memoriae veterum tradunt, quaeve Romani Graecorum inſtitutis imbuti in Sacrorum cenſum habere caepere, iiſque vota, & obſecrationes ſaepe longa ſaeculorum ſucceſſione ſolvere ſtuduere. Ex avibus paſſeres, cygni, atque columbae magna Religionis exiſtimatione ſpectabantur, ejuſdemque Veneris divinae totidem veluti imagines ſibi comminiſcebantur ethnicae ſuperſtitionis cultores; atque horum mentionem agunt Sappho (*a*), praeter alios permultos, Propertius (*b*), Apulejus (*c*), Horatius (*d*); quibus et-

(a) *In Cantico amoris* apud Dionyſium Alicarnaſſenſem libro *de Structura Orationis*.

(b) *Lib. III.* (c) *Metamorph. Lib. VI.*

(d) *Lib. III.*

iam hirundines tanquam Deae illi gratiſſimas adjicit Aelianus (*a*). Hujuſce ritus variam explanare ſtudet inſtitutionem Placidus Lactantius (*b*); ut plures inſuper rerum ethnicarum praetermittamus interpretes alios, quorum ſcribendi ratio a propoſito noſtro nequit ullatenus ablegari. Plura ergo, quae eſſent ad ſcribendum reliqua, eadem ducti cauſa nolumus in orationis hujuſce incrementum proinde advocare, ut exitum propius adſpicere tandem aliquando incipiamus.

§ 79. Iſta igitur ſi teneamus, jam ſatis ut arbitror confecta videtur ab inductione argumentatio; univerſorum hominum nimirum de belluarum animis ſententiam in eo perpetuo fuiſſe verſatam, ut illi ſubſtantiae ſpiritalis natura donati crederentur, quibus, ut hactenus viſum eſt, vota & ſacrificia devoviſſent. Quid autem eſt Bruta ſacris, & exquiſito rituum apparatu venerari, atque erga ipſa velut Numina illuſtrioribus Religionis exercitationibus impenſe ferri, quam Deos ſapientiſſimo conſilio praeditos, & bonis affluentes, & fortes, & beatos, & immortales exiſtimare? Quid non obſcure hujuſmodi Gentium omnium in animantia cultus cuique, vel mediocriter ſapienti debet innuere, quam bonam iis, atque perfectam Dei viſam eſſe naturam, quae omni genere praeſtantior eſſet humano? Nonne ſacra illa omnium gentium, & temporum in belluas inveterata conſuetudo ſatis per ſeſe indicat anticipatam earum divinitatem, quae mente atque imperio cuncta adminiſtraret ſuo, & rebus opitularentur humanis, & quarum denique digni-

(a) *De Animalibus Lib. X. cap.* 34.

(b) *In II. Thebaidos.*

tas atque perfectio, qua major esse aut concipi nequeat, atque adeo summa, vel rudioribus etiam ingeniis, & indoctioribus obversaretur?

§ 80. At non ignoramus quae hoc loco sapienti atque erudito lectori suspicioni esse fortasse valeant, quominus ethnicorum pro animantibus cultui velit assentiri. Quid enim? nonne, forte inquiet, nonne totum fere Gracos potissimum inter atque Latinos vulgus tam stupidum plerumque fuerat, ut, praeter ea, quae de suis Numinibus indigna quaevis & abjecta sentiebat, quae a divinae Naturae excellentia longissime absunt, Deorum notionem rudi quadam, ut ita dicam, & pingui Minerva aestimabant? Nonne Philosophi plures, & eorum temporum Sacerdotes, quum Brutorum Religionem promoverent, diversum quid plane sibi persuasum habebant, quam ab imperita multitudine excogitari ea stulte posset? Inter eos vero, qui de ethnica Romanorum, & totius Imperii in belluas Relligione scripsere, exstant nonnulli, qui caeteros, tametsi eruditos, solent reprehendere quòd Genti illi ejusmodi superstitionibus distentae usqueadeo insanam imposuerint de Brutis opinionem, ut ea totidem Numina reipsa existimaverit, & non potius Deorum symbola, quemadmodum isti, qui hoc idem argumenti genus pertractarunt, se moderatius egisse ita autumando putabant. Illius etiam testimonio, qui *Recognitionum* sub Clementis Romani appellatione Auctor ubique praedicatur (*a*) accedere eò amplius patet, quòd in animantium cultu Aegyptios, aliosque Orientales

(a) *Lib. V. Fol. 63. Edit. Paris. an.* 1568.

les Populos, inter & Graecos Romanoſque magnum intercederet diſcrimen: ſcilicet quaeque Orientis Natio, atque Aegyptii potiſſimum, coram viventia Bruta ſe proſternerent, Romani autem ac Graeci, quum ſacris eorum intereſſent, nonniſi artefactis animantium ſimulacris flectebantur: caeterum ea omnium utrobique animis opinio inſediſſe conjicitur, ut nonniſi pro Deorum ſymbolis ſive viventia ſive hominum artificio efficta animalia potuiſſent uſurpare.

§ 81. Verum haec non ita pro brevitate ſunt tranſigenda, ut iiſdem, niſi fiat merito ſatis, id totum conſulto videamur voluiſſe negligere; quod certe vitium eſſet in philoſophia graviſſimum, cuius etiam probrum nobis non iniuria verti poſſet. Haud certe nos latet, Deorum veluti ſigna in pluribus ſive viventibus, ſive arte conflatis animantibus expreſſe unum idemque cum in iis non eſſe Numinibus, quorum illa ſymbola cenſebantur: nonniſi probatiſſimum perinde cuipiam ſapienti jure eſſe debet, omnes retroacti temporis Brutorum ethnicos cultores, ſi ſapientiores tantum excipias, non adeo acri ingenii viguiſſe virtute, quae, ob inſitam errorum anticipationem mentiſque perverſitatem, ut mendaces, quas profitebantur Relligiones, ita abſurda quaevis potuiſſet facile internoſcere, atque unius rei ab altera diſcrimen acie mentis attingere: illud denique poſtremo loco conſtituendum ducimus, non heic nobis, ut ſupra monuimus, de jure ſed de facto duntaxat inquiſitionem fore inſtituendam, atque ethnicae hac de re Relligionis hiſtoriam adornando Veterum nos monumentis inniti ſolum, quorum verba Nationum omnium geſta,

non jura consignant; nisi non modo loquendi, sed & judicandi rationem omnem vel a sacris, vel a prophanis Auctoribus usurpatam invertere velimus.

§ 82. Vel ergo animantia a Veteribus superstitiosis tanquam Numina recto, ut ita dicam, intuitu esto colerentur, vel ut Divorum symbola habenda fore putarentur, illud unum tamen extra dubitationem constituitur, stupidas gentes rerumque meliorum ignaras nullum pene inter utramque cultus rationem agnovisse discrimen, quum varia illa Divinitatum genera venerarentur: quemadmodum nec satis arguti, nec ad discernendum erant comparati quid contra sanam philosophiam rectamque rationem, quid vero aequitati honestatique consonum esset habendum; ii scilicet Deos immortales ingenio, consilio, rerumque omnium copia ditissimos existimabant, isdemque perfectiones attribuendas fore quasdam arbitrabantur, quae nos Christianis institutionibus initiati perturbationes animi, & vitia foedissima, vel in homuncione vituperanda, jure autumamus. Simili mentis perversitate ducebantur ut Deos esse corpore instructos, licet immortali quodam, atque pulcherrimo, judicarent. Quid porro haec cum germana divinae naturae perfectione? Nulla plane inter oppositа invicem extrema haec communis est ratio. Nihil itaque mirum perinde erit profectò, si eodem Relligionis sensu obstricti olim erga sua Numina fuisse credantur illi, coeteroqui vecordes homines atque stultissimi, quorum tanta certe non erat ingenii acies, quanta erat opus, ut Bruta Deos non esse, neque obsequiis digna non intelligerent solum, verum etiam neque ut Deorum signa sacris prosequerentur honoribus.

§ 83. Ac-

§ 83. Accedit eodem, ethnicos illos avitis traditionibus ad patriam Relligionem informatos prorsus nullam philosophiae unquam dediſſe operam, qua aut errores dominantes ſuperarent, aut unum ab alio rite in hiſce rebus captu aliquatenus difficilibus diſcernerent: ipſi quinnimo uno ducti ſuorum exemplo inſtitutoque majorum, qui in permultis animantibus divinam plane vim poteſtatemque acceperant, inconſulta quadam credulitate arctiſſime animo cuſtodiebant, ſacriſque exercitationibus ſectabantur, quae vulgi more peragi ſolent; & piaculare etiam fore rebantur fortaſſis, ne dum inquiſitiones de ſacris inſtituere, de futilibus iis ethnicae fidei negociis vel hilum dubitare, quod eſſet inveteratae in colendis Idolis conſuetudini quoquomodo contrarium.

§ 84. Supervacaneum eſt itaque, & plane ridendum de vulgarium ethnicorum mente velle ſeriò diſputare, & rectum in iis ſenſum contendere, quorum erat in omni Deorum cultu incredibilis ſtupiditas, & obtuſa penitus ingenii ad difficillima quaeque capienda vis atque poteſtas; niſi forte illos, qui diligentiorem inter eos ſapientiae operam impenderant, debeamus excipere, qui delirantium populorum in Brutorum veneratione quum ſomnia adſpernarentur, eoſdem tamen ex induſtria in errore continere delectabantur. Caeterum de facto ſi quaeratur; quaemadmodum Scriptorum dicta omnia, & hiſtoriae eorum monent, qui acciti a nobis ſuperioti laudatione fuere; ſive ipſamet Numina, ſive eorum ſymbola in animantibus ab ethnico quovis cultore ſpectata dicantur, perinde eſt: quippe in utriſque nonniſi id perſua-

ſum

ſum eſſe poterat, quod mente, conſilio, & voluntate viget, caeteriſque materia praeſtantioribus attributis, quae Numinibus plane digna exiſtimantur.

§ 85. Hiſce itaque, quantum Commentariorum noſtrorum ratio patiebatur, exactis, ſupereſſet modo, ut de iis quoque Gentibus ageremus, quarum etſi in Bruta cultus infra Europaeos fines contineretur, ipſae tamen extra vetus Romanorum Imperium cenſebantur, quaeque barbarorum nomine notari conſueverant. Pauca nihilominus attingere neceſſe habemus, ne manca hac etiam ex parte ab inductione argumentatio noſtra videatur. In Martis cultum a Scythis Aſino ſacra celebrabantur: Veneris ſimulacrum cygnis geminis, totidemque columbis a Saxonis ornabatur; quippe animantia hujuſmodi infra Relligionis gentilitiae myſteria continerentur. Illius conſuetudinis veritatem teſtatur Arnobius (*a*); hujus vero meminit Lilius Gyraldus (*b*). Saxones demum eoſdem belluas ſive pro Numinibus, ſive pro ſymbolis habuiſſe fidem facit ampliſſimam Sebaſtianus Munſter (*c*). Qui tamen ampliora conſulere & expendere cupiat de horum populorum Theologia Julium Caeſarem Capacium adeat (*d*), Clementem Alexandrinum (*e*), alioſque plures, quos nec etiam pro aequiori brevitate permittimur indicare.

§ 86. Quid reliquum ergo eſſe poterit plauſu utique dignum, quam ut abſque haeſitatione ulla aſſeramus

(a) *Lib. IV.* (b) *Hiſtor. Deor. Syntagmat. XIII.*
(c) *Coſmographiae Lib. III. cap.* 433.
(d) *Hiſt. Neap. Tom. I. par. I. c.* 14. *pag.* 182. *& ſeqq.*
(e) *In Admonitione ad Gentes.*

mus, belluas omnes pro Diis quoquomodo a Gentibus perpetuo ſaeculorum curſu conſtanter habitas pro totidem ſpiritalibus ſubſtantiis ſimul fuiſſe ſuſpectas? Tametſi enim abſurdiſſima quaeque de divina earum Natura comminiſcerentur ſuperſtitioſae omnium temporum locorumque Nationes, immortalem nihilominus, & intelligentia quadam ſingulari praeditam atque virtute eam certe conſtituere cogebantur, quamprimum genere quovis honorum a mortalibus coli debere ſibimet perſuaderent; dummodo ut Bruta Deos eſſe, quos exorarent, quos votis ſacrificiis, caeteriſque caeremoniis flecterent eadem dicerent ipſae atque ſentirent. Quaecumque ergo vel barbaris praeteritorum temporum mentibus de Deorum natura abſurda invaluerint; quum belluas ſacratioribus proſequerentur ritibus, atque myſteriis; inde tamen facile inferri poſſe putamus, hujuſmodi Numina ab iis perſpecta fuiſſe veluti ſubſtantias quaſdam, quae tum bonis affluerent, & bonis aeque univerſa complerent, tum fortes, & pulchrae, & ſapientes, & beatae, & immortales iiſdem, licet rudibus atque indoctis, viſae perſpicue fuiſſent. Caetera vero, quae cum perfecta Dei Opt. Max. notione non cohaerent, cujus tamen licet craſſis obductam tenebris cognitionem imbiberant, ipſa quidem humani imbecillitatem ingenii, illaſque in maximarum rerum ignoratione fuiſſe verſatas ſatis ſuperque demonſtrant; quae tamen ſaeculorum, atque ſectarum vitio potius concedenda eſſe videntur, quam animorum cogitantium Deoſque colentium perverſitati: omnis ſcilicet errorum monſtroſa in ejuſmodi Relligionibus turpitudo multo amplius principiorum, ut ajunt, fal-

falsitati innitebatur, quam philosophandi rationi, quasi a receptis institutionibus abhorrenti. Quapropter quum ita rem se habuisse ab Historiis Monumentisque omni exceptione majoribus huc usque collegerimus, quid ergo reliquum est, quam ut Commentariorum nostrorum Capiti huic juxta propositum coronidem imposuisse non nos modo putemus, sed & quotquot erunt, lectores plane cognoscant?

CA-

CAPUT III.

Quid iis praeſtandum eſſet, qui belluarum animam omni ſenſu, & ratione carere vellent dilucide demonſtrare.

Pportune locus hic efflagitare videtur, ut qui adverſus Bruta dimicant a nobis libere doceantur quid tandem praeſtandum ipſis eſſet, quo non invicta ſolum, ſed vel ſatis probabili oratione corporeus omnino in ſuis obeundis functionibus Brutorum eorumdem mechaniſmus ſuaderetur. Scilicet haud ſatis eſt, quòd nonnulli, nec majoris ſubſellii, Scriptores, omnium ſaeculorum ſpreta veluti antiquitate, & ponderoſo ſuffragio philoſophorum pene conculcato, ad commentitium pro uno novitatis lubito ſyſtema ſeſe converterint; non ſatis eſt praeterea, quòd in eodem ſibi confingendo tradendoque, ſecluſa etiam

iam retroactae Philosophiae auctoritate, possibile fore asseruerint, ut eadem Bruta absque ullo intimo sensus rationisque principio, quemadmodum artefactae machinae, elateris viribus universa eorum opera compleantur; sed alia quaedam, nisi fallor, multo majoris operis, atque laboris ipsi efficienda superfunt, nempe docendum, & idoneis argumentis ostendendum primo, nullius esse momenti quaecumque sapientum libri atque voces, exemplorum vetustas, & recentior ipsa historia suppeditant; deinde quasi digito monstrandum iisdem est reliquum, universa sive ad vitam, sive ad miram animantium solertiam pertinentia una partium textura ac fibrarum ordine fieri reipsa, non metaphysica tantum possibilitate contenti. Ipsi nempe, ductis ab anatomes belluarum omnium scientia, atque a physiologiae studio argumentis, admirabilem prorsus industriam, qua cibos exempli grat. formicae aestatis tempore inquirunt, in horrea congerunt; ubi frumenti grana humiditate marcescere viderint; è cryptis illa in apertum aerem siccanda educunt, aut, si fortasse germen ex ipsis oriri conspiciant, illud dentibus continuo corrodunt; ipsi inquam Brutorum sentientium, & cogitantium perpetui adversarii (nisi omnem rationis curam abjeciisse videantur) haec omnia obiter recensita, aliaque innumera insectorum, pecudum, volucrum, & serpentium specie tenus rationis plena, atque consilii cum sola mechanica partium solidarum liquidarumque dispositione revera conciliare, ejusque non umbratiles causas, sed firmissimas debent philosophico more cunctis proferre. Eos praeterea latere non potest (ut rem altero exemplo delibemus) quanta

&

& quam eximia ſedulitate aviculae complures incumbant, ut in ſuis conſtruendis ad nidificationem cubilibus nihil deſit artis atque induſtriae ſingularis, unde ſe ſuoſque pullos tueantur. Illae videlicet primum alas proximi fontis aquis madefacere cernuntur, tum ad parietem volantes, in quo nidum velint miro artificio fabricare, alas ipſas ita agitant, atque concutiunt, ut paries ipſe madefiat, ideoque terrae, vel luti particulae, quas volucres ore translatas ſenſim admovent, eidem tenacius adhaereant; paleis etiam, ac plerumque plumis mirifice intextis interiorem nidorum partem veſtiunt, deinde vero maxima, & incredibili ſollicitudine & providentia ova natoſque pullos fovent, nutriunt, atque demum ab exterioribus hominum volucrumque injuriis intentiſſimo ſtudio defendunt.

§ 88. Neminem vero exiſtere poſſe autumo, qui perfricta fronte omnem ab hominibus fidem audeat coneturque detrahere; qui nimirum blaterare potius velit, quam validis argumentorum momentis multorum & magnorum ab orbe condito Philoſophorum dicta eorumque vim infringere quoquomodo adgrediatur. Attamen etſi aliqui fortaſſe fuerint, aut etiam futuri indociles ſint, minimeque ad rectum ſenſum informati, qui tantum adverſus rationem facinus patrare valeant; ne cauſa, quam ſemel defendendam ſuſcepere, cadere ipſi videantur; ii profectò non tam philoſophiam omnem, quam hominis naturam temere exuiſſe dicendi ſunt, neque iſtis propterea nobiſcum ad colloquendum diſputandumque, velut indignis, ulla debet ratione patere facultas. Quamobrem una ſupereſſe poteſt nobis altera, quam paulo ſu-

ſuperius conſtituimus, difficultas; utrum nempe quaecumque Brutorum propria eſſe dicuntur, & mirum in modum cum hominum operationibus prorſus affinia adeo ſatis huc uſque fuerint ab adverſariis noſtris perſpicua demonſtratione in Automatum gratiam exhibita, ut & quae contra pro ſpiritali Brutorum natura a nobis multiplici argumentationum genere bene ſtabilita contendimus falſa, & futilia eſſe penitus appareant, & quae ipſi proferunt cum ſanctoribus philoſophiae legibus & animadverſionibus perbelle cohaereant, nec inde incommoda, aut abſurda ulla fluant, quae aut cum ratione pugnent apertiſſime, aut quod in ipſa philoſophia, & Religione ſupremum & ſanctius eſt, labefactent.

§ 89. Equidem non perſpicio quid Automatum patronis, qui nulla ſufficienti ratione eorum ſyſtema tanquam probabile circumferunt, objici acrius valeat, quam plures è diverſis animantium generibus decerptae veluti ſolertiores operationes; quae cum mechanicis viribus conferantur primum, deinde vero cum antiquiori ſemperque inter ſapientes conſtanti bene cogitandi ratione, utrum conſonae, vel diſſonae ſint diſcernantur. Atque hujuſce methodi inſtituto me perbelle facturum confido, ut diſputatio noſtra triumphet, & omnis demum, quae fortaſſis reliqua eſt adhuc de belluarum Automatibus, opinio a ſapientum animis auferatur.

§ 90. Animalium itaque, a quibus illuſtriora ſagacitatis & ingenii exempla ad rem noſtram petenda fore diximus, tria veluti ſuprema genera ſatis apte diſtingui valent; ut alia terreſtria, alia volatilia, alia denique aquatilia dicantur. Una rerum illuſtrandarum cupiditas

me

me magis magisque compellit, ut a propositio aliquantisper digressus, quin Lectori gravis, ut spero, sim futurus, Bruta ipsa singillatim percensendo ad constituta genera iterum referam. Quae terrestria sunt animantia ideo sic appellata continuo intelliguntur, quòd solo insistentia super ipsum duplici ratione moveantur. Aut enim pedibus gradiuntur, aut reptant super terram; unde gressilium reptiliumque Brutorum divisio orta est. Gressilia primum sunt aperienda, & quae reliqua sub hoc genere continentur; de reptilibus deindè. Haec igitur vel quadrupedia sunt, vel bipedia potius, quam ad quadrupedum genus pertinere putes. Porro quadrupedia aut solipedia sunt, ut equus, asinus, mulus, & elephas, quod nimirum ungula incedant indivisa; aut bisulca vocantur, quod eamdem gerant pedibus ungulam in duas ex aequo partes divisam; ut bos, ovis, lupus, aliaeque belluae. Quae autem solipedia non sunt, aut nonnulla cornigera apparent, ut bos, capra, aries; aut ejusmodi cornibus destituta, ut camelus, dromedarius, aliaque; aut denique multifida sunt, & digitis quatuor saltem quodammodo communita; ut canis, lupus, ursus, tigris, feles, pluraque hujusmodi; quorum quidem alii vivipara sunt, ut canis, leo, mus, alia autem ovipara, ut crocodilus, lacerta, salamandra, rana, nec pauc praeterea, quae brevitatis ergo recenseri non debemus. Quae deinde in reptilium censum Bruta referri eceſſe habent ea primum naturalis philosophiae historia in perfecta, atque imperfecta partiuntur. Illorum aque quaedam vivipara sunt, ut coluber, cerasta, aspis, vipera, alique serpentes, qui humi semper, dur gradiuntur, re-

pere

pere videntur; alia vero ovipara. Caetera reptantia, quae inſecta vulgo appellantur; quorum plura pedibus carent, ut lumbrici, vermeſque omnes, qui in homine, caſeo, plantis, veſtibus, leguminibus, & fructibus ortum habent, indeque alimentum accipiunt; eorumdem vero alia pedes habere cernuntur; ut eruca, bombyx, ſcolopendra, cimex, & omnia illa, quae, quum cryſalides fiunt, pedibus ſimul, atque alis ſua ſponte quocumque feruntur. Hactenus leviſſima de terreſtrium animantium generibus manu; nunc ad volatilia pari tranſeamus brevitate.

§ 91. Ex volucribus itaque id genus Brutis aliqua neceſſe eſt ab aliis ab alimentorum diverſitate ut diſtinguamus. Etenim exiſtunt nonnulla, quae tametſi roſtro, aut unguibus ab invicem ſecernantur, in carnem nihilominus aucupandam diu noctuve feruntur; quae carnivora propterea vocant; ut aquila, oſſifraga, vultur, accipiter, aſterias, falco, corvus, cornix, pica, & quae ſunt eliqua plura, quorum eſt in carnes quaſcumque perpetuus appetitus. Ab hiſce differunt deinde Bruta illa volatilia quae vermibus ſolum paſcuntur; atque idcirco vermivora dici conſueverunt; ut luſcinia, hirundo, upupa; atque ab his quoque dividuntur quae baccivora appellantur ut turdus, ſturnus, merula; & quae demum granivora nominant; gallinae ſcilicet, columbae omnes, pavo, perdix paſſeres; ab hactenus memoratis omnibus diſcrepant.

§ 92. Aquatilium vero, quae aquis tantum innatant, genus ſupereſt innuendum. Horum porro varietas ex diverſis, quas incolunt aquis; in marinos videlicet piſces

ſces, in fluviatiles, nec non lacuſtres diſtingui plerumque ab hiſtoricis ſolet. Ex marinis praeterea littorales alii piſces dicuntur, ſaxatiles alii, pelagii autem nonnulli; proptereaquia hanc potius, quam alteram maris partem aliquam amare videantur. Caeterum aquatilium marinorum, quae modo commemoravimus, alii ſquammoſi, cruſtacei aliqui, cartilaginei alii eſſe cernuntur: quae horum diviſio fluvialibus etiam, atque lacuſtribus piſcibus accommodari facile poterit. Ad idem quoque marinorum genus revocari poſſe videntur conchilia, oſtreae, alectorides, aliaeque illae plurimae eorumdem ſpecies, de quibus fuſe, & accuratis lucubrationibus Liſter, Valliſnerius, Wodvardus, Bonannus, aliique etiam plures noſtra hac tempeſtate ſumma cum philoſophorum laude diſſeruerunt. Inter tria demum recenſita Brutorum omnium genera medio quodam naturae gradu conſiſtunt quae amphibia animantia nuncupantur; quorum tamen quia cunctis notiſſima conditio eſt, neque nobis ex inſtituto propoſitum inpraeſens fuit longiorem animalium univerſorum texere narrationem, quam ad ſupremum Capitis hujuſce conſilium pertinere, referrique commode debeat, iis proinde praetermiſſis, ad id, unde digreſſa oratio eſt, revertamur.

§ 93. Juxta conſtitutum Brutorum ordinem de eorum in pleriſque operibus mente, & ſagacitate a terreſtribus primum pauca quaedam huc illac delibata dicere ergo auſpicabimur: in qua quidem re, ut in duobus etiam reliquis animantium ſupremis generibus, nihil meo judicio factum melius exiſtimari debet, quam indaginem

no-

noſtram, juxta Plutarchi adhibitam acri ingenio partitionem, congruo loco metiri: *In univerſum vero* (inquit in eo Opuſculo; Terreſtria ne an Aquatilia animalia ſint callidiora) *quando quibus demonſtrant Philoſophi animalia ratione eſſe praedita, haec ſunt propoſita: apparatus memoriae, animalium motus, pro ſobole procuratio, gratiarum actio pro acceptis beneficiis, meditatio ultionis in eos qui laeſerunt, inventiones rerum neceſſariarum, indicium virtutis alicujus.*

§ 94. Nos igitur non haec ſingula argumentandi genera ex Plutarchi veſtigiis perſequemur, ut ad exitum perveniſſe cogitemus, atque abſolutum numeris omnibus praeſens Commentariorum Caput abſque exceptione ulla legentium obiiciamus judicio: attamen eorum nonnulla aliquot ex tribus Brutorum ſive volatilium, ſive terreſtrium, ſive marinorum naturis exempla accommodare ſatagemus; unde rite argumentatio progrediatur, nullius nimirum eſſe roboris, nulliuſque ſenſus quidquid a Brutorum rationalium hoſtibus inepte dici quacumque demum ratione ſoleat. A terreſtrium animantium ordiemur ergo memoria, cujus lumine pervium deinde fiet qua mentis virtute illud animal poſſit, quod in ſe polleat rerum repetendarum libertate.

§ 95. Facile profecto eſt equorum expendere metirique memoriam, quamprimum eorum ingenium, docilitatem, & ad omnem educationem aptitudinem conſpexerimus. Etenim, ut apud omnes eſt in confeſſo, nemo ad virtutem, nec ad qualemcumque rerum agendarum peritiam informari unquam poteſt, niſi mentis acumen, reminiſcentia, rerumque praeteritarum cum praeſentibus com-

comparatione, tanquam miniſtris & adjutoribus ſuis, quam ſaepiſſimae exerceat. Itaque, ſingularibus equorum ad rem firmandam relictis exemplis, in equeſtri ipſi diſciplina qui eruditiſſimi equi ſunt, optime diſcernunt ſtatim, Ovidio teſte (*a*), utrum qui ſupra ſe habenas regere vel inſidere incipiunt equitandi aurigandique periti ſint, aut contra imperiti. Stupendam quoque eorum, quae ſemel didicere, memoriam equi ſe indelebili impreſſione retinere tum maxime oſtendunt, quum tubarum audito ſonitu, aut facta tormenti bellici exploſione aliqua, aures continuo attollere, nares inflare, nitrire, frena cum ſtrepitu veluti mandere, pedibus terram quatere, & loco difficulter manere cernuntur; quippe ipſis ex aſſueto alias fragore pugnandum eſſe recordantur, atque ad repetendam bellicae artis diſciplinam continuò iis excitati ſignis toti ſe comparant. Quid vero in cauſa eſſe debet, niſi perſpicua, ac diſtincta eorumdem reminiſcentia, cur ipſi ad omnem ſaltationum, geſticulationumque concinnitatem ab equitum magiſtris, mirum in modum informentur? Ipſi nempe ad quarumdam vocum nutum, ſive alio quopiam ex diſciplinae inſtituto ſigno poſito, aut ad certum numerum progrediuntur, aut ſeſe illico erecti pedibus attollunt, aut ſaltibus, & choreis ad muſices numeros obtemperant, aut quidpiam demum perbelle conficiunt, quale ab homine liberalibus, & equeſtribus artibus exercitato expectari unquam poſſet.

§ 96. Memoriae praeterea vim cum phantaſiae facultate conjunctam equorum ſomnia aperte commendant,

 quum

(a) *Triſt. Lib. I. Eleg.* 3.

quum illi nempe hominum more ſopore oppreſſi ea recogitant maxime, in quibus aſſuevere. Ita luculenter canit Lucretius (*a*), non poetices praeſtantia ſolum fide dignus, verum etiam de abditiori naturae ſapientia optime meritus.

Uſqueadeo magni refert ſtudium, atque voluntas,
Et quibus in rebus conſueverunt eſſe operati
Non homines ſolum, ſed vero animantia cuncta;
Quippe videbis equos, fortes, quum membra jacebunt,
In ſomnis ſudare tamen, ſpirareque ſaepe,
Et quaſi de palma ſummas contendere vires.

§ 97. Ab equorum memoria ad mulorum vafritiem convertamur, quae nonniſi illius facultatis ope decerni poteſt. Huic animalium generi tametſi vitio verti etiam ſoleat pertinacia, nec non rabida ulciſcendi libido, attamen rei noſtrae non minus appoſitum cenſeo ejus aſtum animadvertere, quem unus olim prae caeteris oſtendit, eorum de numero, quibus advehendi ſalis negocium dabatur. Is enim, ut diſerte narrat Plutarchus (*In comparatione terreſtrium cum aquatilibus*), quum flumen trajecturus in aquam forte lapſus eſſet, & ſale liquefacto, atque exhauſto inde ſurgentem multo expeditiorem ſe eſſe comperiſſet, certam continuo rei cauſam attigit, atque notavit. Hinc factum eſt, ut, quoties aquam deinceps tranſiret, ex induſtria in amnis medio ſeſe penitus mergeret, & paulatim deinde ſurgeret, donec ſale ſemper

(a) *De rerum natura Lib. IV.*

per liquato, & onere prorſus abſumpto alteram fluminis ripam alacer illico attingeret. Verum detecta animantis in herum pravitate, pro conſueto ſalis pondere lana ſpongiiſque onerare, eumque verſus eamdem viam urgere caeperunt. Ille quum ſe ex more in aquas demiſiſſet tantum paulo poſt gravamen ſenſit, & incommodum, ut deinceps abſque dolo, & caute aquas tranſeundas fore aequius putaverit.

§ 98. Qui tot tantaque nihilominus de terreſtrium providentia Butorum ſolertia, virtute, & accurata rerum agendarum multimodis egimus hactenus, illud tamen animantium genus pene obliti praeteriiſſe viſi ſumus, quod calliditate caeteris omnibus praeſtare merito praedicatur; vulpem inquam, de qua quidem infinita propemodum ab iis, qui in omni naturali hiſtoria diſſeruere, enarrantur. Seligendum tamen de illa unicum nobis lubet a Plutarcho *de animalium ſolertia* depromptum: Vulpes nimirum in Thracia quum rigente hyeme flumen aliquod trajecturae ſe comparant, admovere ipſae prius auriculas alveo cernuntur; unde caute experimentum faciant, utrum aqua ſub glacie deliteſcens ſonitum edat, vel curſu tacito feratur. Si aquam forte reſonantem nimis exaudiant, continuo ſcite conjiciunt, adeo tenuem glaciei fore ſuperficiem, ut non tuto pedes valeant promovere: verum ubi ſtrepitum aquae ſubterfluentis nullum percipiant, recte inferunt, tantae eſſe altitudinis gelu, ut neutiquam corporum ſuorum ponderi ſit ceſſurum, ideoque ſumptis animis flumina audacter tranſmeare conſpiciuntur.

§ 99. Tam certum eſt demum de Elephanto, quod ex Cicerone ſuperius innuebamus; eſſe illi videlicet quamdam cum genere humano ſocietatem; ut quamplura propterea in cauſſa ſint, cur belluae huic mens, & affectus, hominum inſtar, adjudicanda eſſe fateamur. Nimirum ipſi primo, Acoſta quamplurimis exemplis teſtante (*a*), beneficiorum memores eſſe deprehenduntur, quo etiam tempore furore correpti ab amico hoſtem diſcernere haud poſſe viderentur. Quantopere autem puerulos ament ex alia hiſtoria, quam Athenaeus ex Plutarchi libro vigeſimo recitat, ſatis ſuperque docemur. Eadem exemplorum narratione utitur Aelianus (*b*) ut oſtendat hoc animantium genus quàm bona polleat memoria, quàmque ſedulo praeceptum officii teneat, & quàm ſimul eorum, qui illud diſciplina gubernant, vel expectationem, vel fidem non fallat. Puellarum quoque amore ex Plutarcho (*c*) capiuntur adeo, ut teſte etiam Plinio (*d*) eadem exhibeant amantium argumenta, quae ab hominibus deſiderari unquam deberent: earum nempe conſpectu improviſo gaudio geſtiunt; ſi forte recedant ſtatim, moerore dejecti acerbe ferunt, ac quum redeunt illae blanditias ſuas oſtendunt inconditas; munera etiam iiſdem ſervant, atque in ſinum effundunt. Quantum verò amore in homines exardeſcunt, tantundem pro expianda illata ſibi iniuria aliqua, vel ignominia ſaeviunt, &

(a) *De Bello Hiſpanico.*
(b) *Lib. XVIII. cap.* 44.
(c) *De ſolertia Animal.*
(d) *Lib. VI. cap.* 30.

& vehementi vindictae cupiditate vincuntur; quemadmodum iisdem testibus hactenus laudatis non haec modo tradita solum, verum etiam multo illustriora magisque admiranda; quae consulto in brevitatis gratiam reticemus; decerni facile possunt.

§ 100. Quae item nobis non ad ingenium sed ad pastum destinata prae caeteris animantia illa videntur, Sues nempe, quibus ex Chrysippi sententia Cicero de *Finibus*, ne putrescerent, animam ipsam pro sale datam scribit, & quo pecude, eodem affirmante, nihil genuit natura foecundius; nec ipsa profecto sua carent mente, atque solertia. Bruta ista videlicet humanas voces cumprimis optime intelligunt, easque attentissimis auribus, quas ignotas percipiunt ab iis villicorum probe admodum discernunt, cum quibus saepe aut per arva perque montes ad pastum vagantur, aut a quibus in similibus locis propinata quotidie pabula expectant. Usqueadeo vero humanis vocibus citissimè parent, ut, experientia passim monstrante, quin ullius Scriptoris testimonia ad fidem faciendam advocemus, easdem buccina quadam testacea articulatas, ut in rurali more positum est, comprehendant, ejusque sonitu ad heri, vel ductoris arbitrium congregentur, & ad alterius extranei inflantis, quem nondum noverunt, fragorem fortasse non obtemperaturi. Nihil de eorumdem amore, & ferocissima in venerem libidine, quam ingeniose ad majus temporis spatium, praeter omnium pecudum morem, protrahi, decurrereque, Lucretii affirmatione (*a*), procurant; a nobis scriptum volumus, propterea quia ex Plinio (*b*), ex Virgilio

(a) *Lib. IV.* (b) *Lib. VIII. cap.* 51.

gilio (*a*), aliisque pluribus depromi multa valent tantum fide digniſſima, quantum indubia ſunt quae omnium pene oculis harum belluarum geſta contemplantibus ſaepe obverſantur; quapropter aliorum Brutorum mentem deinde, verſutiamque animadvertamus.

§ 101. A terreſtrium Brutorum miranda plane in rebus ſuis bene obeundis prudentia ad volatilium aliquorum ſolertiam enarrandam pauliſper modo ſermone noſmetipſos convertamus oportet: quorum etſi mores Scriptorum celebriorum ſuffragio, atque animadverſionibus potius, quam noſtro ſenſuum teſtimonio deſcribantur, haud tamen fas erit ulli jure opinari, quae animantia olim egiſſe ſolertiſſime tot veteres produnt hiſtorici; atque ab una mentis vi univerſa eorum profecta fuiſſe tuta perſuaſione teſtantur; diſſona ab iis forte belluis nunc temporis reperiri poſſe, quae aut nobiſcum verſantur, aut quae de communi cum nobis vita participant. Tantum a ſano capite hujuſmodi cogitatio ab hominibus otio & philoſophiae luce non abutentibus haberetur aliena, quantum natura omnis cuique conſtat iiſdem ſemper legibus firma, aequa, nec incertis unquam viciſſitudinibus obnoxia. Quae igitur retroacti temporis Bruta omnia fuerant, eadem neque hilum diſſimilia modo quaecumque vitam agant credere neceſſe eſt.

§ 102. Corvorum primo ea eſt ſagacitas, ut teſtibus Thucydide (*b*), atque Lucretio (*c*), quum de cadaveribus ad eorum cibum deligendis cauſa eſt, ea diligentiſſime

(a) *Georgicorum Lib. III.*
(b) *Lib. II.*
(c) *De rerum natura lib. VI.*

sime inquirant, ac perquam bene olfactu internoscant, & appetant deinde quae minus graveolentia esse sentiunt, & quae contra foetida nimis atque in saniem pene diffluentia percipiunt, continuo respuant, & aversentur. Id caute observatum a memoratis Scriptoribus traditur in celeberrima, illa, quae Athenis olim grassata est pestilentia. Ipsorum item avium ad cibum parandum, tuendumque vaferrimum est ingenium; quomodo compertum aperte enarratur a Plinio (*a*), & Alberto Magno (*b*); quorum tamen verba brevitatis causa praeterimus. Prudentia non minus Corvi prae volucribus multis pollere, & Vultures etiam acuta ciborum discretione donari videntur; quippe carnivori, abstinere tamen noscant ab animantibus venenato serpente interemptis; quemadmodum Nicander in Theriacis gravissimus Auctor est. Ad animalium omnium victum aeris etiam pertinet respiratio; in cujus sane delectu Bruta volatilia ab infecto salubrem acri sensu & cognitione discernunt. Potissimum vero prae aliis caeli immutationem Galli persentiunt, qui imminente pluvia, aut tempestate aliqua, crebrius, horisque insolitis canere, aliasque inconditas voces promere auscultantur. Huc insuper spectare debet quod constanter agere consuescunt Grues, Ciconiae, Anseres, atque Olores (ut Hirundinum notissimarum morem praetereamus) quum sibi accommodatam magis coeli temperiem quaerere magna cura nituntur. Nempe cuiquam eorum avium generi congenita fuit aeris aspirandi exspirandique illius cu-

(a) *Lib. X. cap.* 43.
(b) *De Animalibus Lib. XXIII.*

cupiditas, atque neceſſitas, qui nativo ſui temperamento conſentiret: quare factum quotidie pene conſpicimus, ut quae recenſuimus volatilia juxta temporum viciſſitudines ab una turmatim in alias tranſeant regiones; de quorum oeconomia, ac prudentia Plinium fuſe differentem quiſque conſulat (*a*) ne aequo major noſtra fiat oratio. Quacumque demum ratione aerem immutari contingat, tam cauta fedulaque volucrium plurimorum eſt tamen natura, ut illius hauſtu, & pro tuenda valetudine a peſſima avolent atmoſphaera in meliorem continuo commigraturae, & homines ſimul admoneant quid facto ſit opus, ut ſuae quoque incolumitati quantocius proſpiciant. Itaque Laurentius Jaubertus (*b*) elapſo ſaeculo medicinae laude praeclarus, attendere non abſque magno ſtudio jubet quò aves concedant, ut & ipſi earum monitu in ſalubriora loca extemplo proficiſcantur.

§ 103. Quanto cum ingenio Halcyon, avis notiſſima ſecus mare, aut in ſcopulis nidum conſtruere laboret, Plinium ex Ariſtotelis hiſtoria audiamus (*c*): *Nidi eorum admirationem habent pilae figura, paulum eminenti, ore perquam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine: intercidi non queunt; franguntur ictu valido, ut ſpuma arida maris; nec unde conſinguntur invenitur. Putant ex ſpinis aculeatis; piſcibus enim vivunt.* Tanta ſcilicet nidorum fabricandorum ars eò nonniſi ſpectare certe debet, quam ut pullos ſuos ab omni quacumque

(a) *Lib. X. cap.* 23.
(b) *Lib. de Peſtilentia cap.* 5.
(c) *Lib. X. cap.* 32.

que adverſitate tueantur; quod profecto amoris in eos palmare eſt argumentum.

§ 104. Pauca interea ex aliarum avium proprietatibus delibemus, quum pullorum ſuorum tutelae, ſolatio, alimentiſque parandis ſollicito intenti amore diu noctuque inſervire videntur. Columbae in filios caritas a Plinio commendatur (*a*), cui etiam ſuffragatur Oppianus (*b*): tanta eſt nimirum, ut non foemina ſolum, verum etiam mas viciſſim natorum curandorum ſtudium partiantur. Grues quoque, Cardano referente (*c*), pro eadem filiorum cura contendunt ambo; ac propterea a ſe viſam foeminam a mare undecim confoſſam vulneribus fuiſſe teſtatur, quòd a ſe pullos paſſa eſſet abduci.

§ 105. Si Bruta quaedam volatilia, ut ſuos, ita & homines amore proſequuntur, ira tamen non minus, ut captu proclive eſt, & odio corripiuntur. Irae indices pugnae illae ſunt, quae pertinaciſſime inter alias aves perſeverare diu contemplari quotidie poſſumus. Columba ipſa, quae lenitatis dulce praeſeferre videtur argumentum, qua, teſte Varrone (*d*), nihil inter volucres timidius habetur; nec iracundiae prorſus eſt expers: eorum autem, qui Columbas felle deſtitui exiſtimant merito opinionem ridet Galenus (*e*), eamdemque plane refellit Ariſtoteles (*f*).

§ 106. At

(a) *Lib. X. cap.* 58.
(b) *Lib. III. de Venatione verſ.* 116.
(c) *De rerum varietate lib. VII. cap.* 34.
(d) *De re ruſtica Lib. III.*
(e) *De atra bile cap.* 9.
(f) *Hiſtor. animal. lib.* 2. *cap.* 15.

§ 106. At quum de Brutorum virtutibus sit agendum acri cautoque judicio mihi sane incedere opus esse video, ne forte quis ratum iis vocibus habeat, animantia pleraque germanae virtutis, quae a legum omnium norma atque imperio vim habet, capacia fore dicenda. Nemo certe ex Philosophis omnium temporum, qui de Belluarum praestantia disputationes instituere, extitit adhuc quem noverim, qui eo usque ad Supremi Numinis cognitionem extulerit, easque proinde legibus ab eo latis obnoxias esse decreverit: quare quum de Brutorum virtutibus sermo profertur, de earum indiciis, & quadam cum hominum officiis similitudine tantum dictum maxime volumus. Igitur recte ea virtute animantia praedita esse praedicavero, quae juxta propositam ejus normam cum generosa quadam animi vi in Accipitre, Falcone, Gallis, aliisque avibus, & quadrupedibus praesefertur. Usqueadeo Accipitris magnanimitas commendatur, ut Isidoro Hispalensi (*a*), atque Aeliano (*b*) fidem facientibus plus animi audacia, quam ungulis cum aquila saepissime congrediatur. Falconis item generositas tam est insignis, & tanquam invictae fortitudinis exemplar illustre proponenda, ut ipsum a se conspectum Caesar Scaliger (*c*) aliquando fuisse asseveret, solertissima primum declinatione aquilae e sublimi irruentis conatum irritum reddere, deinde vero strenuitate, & constantia comitantibus haudquaquam fugere, sed post aliquot

(a) *Origin. Lib.* 12. *cap.* 7.
(b) *De Animal. lib.* 7. *cap.* 45.
(c) *Exercitat. CCXXXI.*

quot circumgyrationes aquilam provocantem adgredi, atque ad fugam demum turpem compellere. Gallos vero contemplaturi, eos non tam nativa animi ad pugnandum fortitudine praeditos laudare debemus, quam ad praelium ineundum sustinendumque educationis ope admodum comparatos. Porro Chrysippus, in eo, quem *de Iustitia* edidit Librum, Laertio teste, homines ad fortitudinem gallorum exemplo censuit excitandos. Atque ante ipsum Themistocles, quum exercitum contra Persarum milites instrueret, & gallos gallinaceos pugnantes conspexisset, non ipse dumtaxat substitisse memoriae proditum est, sed bellatores suos consistere jussit, eorumque pugnam speculari, ut inde persuasum haberent illi, quanto magis conari debuissent pro Patria, Libertate, pro Penatibus, ne hostibus quidquam, eorum animantium more, vel minimum cederent. Hoc ipsum, quod iis Graeciae militibus ante commissum bellum incitamento fuerat, id superato tandem Persarum exercitu Athenienſibus sanciendae legis occasio fuit illustris, qua Aeliano Auctore (*a*) praeceptum in posterum fuit, *galli ut quotannis die uno in theatro decertarent:* cujus etiam Graecanicae late deinde per omnes Graeciae regiones propugnatae consuetudinis meminit, inter plures Scriptores, Columella (*b*) disertissimis verbis. Equidem arbitror ab hujusmodi legislatione deinde, cumprimis vero a pervio volucrium horum more, illam fluxisse laudatissimam Anglorum consuetudinem ad nostra usque tem-

(a) *Variarum Historiarum Lib. II. cap.* 28.
(b) *Lib. VIII. cap.* 2.

tempora vigentem; Gallorum nimirum ſpectacula, atque acerrimas pugnas multitudini ſaepe proponendi. In Londinenſi enim Urbe, & in toto ampliſſimo Britanniae Regno creberrima celebrantur Gallorum certamina, pro quibus rite populo turmatim confluenti exhibendis amphiteatra idcirco extructa, calcaria quibus galli armati invicem congrediuntur, peculiaris diſciplina, ad quam, militum inſtar, multo ante Bruta illa informantur, & pugnantium denique virtus mirum in modum conferre quiſquis intelligit. Quorſum vero iſthaec in Anglia, niſi ut a ſumma & vere egregia eorum Brutorum generoſitate ſtrenuiſſimae genti illi propoſita ſuorum animi ad bellicam laudem eo magis in dies inflammentur?

§ 107. Quid igitur hominum ſtatus a Brutis diſcrepantiae praeſeferat, a nemine profecto ſtatui poterit, neque perinde niſi a veſana mente in dubium tamen verti poterit, non iiſdem prorſus de cauſis utrinque hominum, belluarumque affectus pendere, quum iis vehementiſſime ambo aeſtuare, experientia quotidiana ſuffragante, cernantur. Bona quaevis nimirum ſi auferantur, incenduntur ira oculi, pilique eriguntur: tantumdem ſpectare in Fele poteris, cui catuli fuerint ſubrepti, aut injuria alia iſtiuſmodi fuerit illata. Metu deinde, quo ex mortis praeſentia homo concutitur, contremiſcunt artus univerſi, ac hebetudine deinde langueſcunt; eadem ratione leporem concuti comperies ad amuſſim, quem canes venatici curſu inſequantur perniciſſimo. Homini demum, quem fauſta circumdent, aut boni cujuſpiam praeſentia delectetur, ridet omnino facies, corpuſque totum exilit, atque ſubſultat; idem nihilominus animadvertere in Ca-

ne

ne ex aequo poteris, qui hero ſuo advenienti eminus occurrat, vel apponi ſibi conſpiciat obſonium.

§ 108. Qua igitur ratione hominum operationes pleraeque, nulla mechanica vi exterius impellente, fiunt, ſed ſpontanea voluntate cientur, eadem ſane in belluis affirmari haberique debet, ſuas quoque ab intimo voluntatis principio fore deſcenſuras. Spontaneas autem appellamus actiones, quae ex animae nutu pendent; ſeu quas anima ipſa vi, atque imperio ſuo potens eſt excitare; quaeque tamdiu ſunt perennes, quamdiu perennis eſt animae idem nutus: atque ex adverſo ceſſant, ſtatim ac pro lubito ſuo anima ipſa ab imperio indicendo ceſſaverit. Si ergo in animantibus non minus, ac in hominibus eadem utrimque vigeat rerum diſcernendarum vis atque poteſtas, nullus erit proinde in homine motus ſpontaneus, qui in pecude locum non habet: eaedem nimirum capitis commotiones, eaedem ferme oculorum converſiones, pedum elevationes; tenſiones, contractiones eaedem perinde utrimque reipſa ſpectantur, quae nonniſi ab animae arbitrio dependent. Quamobrem affectuum humanorum vires quum nonniſi ab imperante voluntate valeant excitari, jure propterea nequit ipſa aut bonis praeſentibus, ſive eorum opinione delectari, aut contra malis urgentibus angi, triſtari, ab iiſque vehementiſſime refugere, niſi voluptatis, doloriſque ſtimulis exagitetur. Recte itaque pecudes, quae bonorum malorumque diſcretione variiſque animae pathematibus donantur, pluribus ſpontaneae voluntatis impulſibus ſive ad amorem, ſive odium, pro doloris voluptatiſque diſcrimine, compellentur. Si ergo aequabilis fluidorum,

ſoli-

ſolidorumque in belluarum corporibus commotio fiat; qua una machinae harmonia, & ſoſpitas, ut in homine, continetur; aequabilis perinde voluptas, vel grata animae affectio contingant neceſſe eſt: ſi vero eadem harmonia perturbetur, pro majoris minoriſve perturbationis gradu, dolor ſive ingrata animae paſſio minor intenſiorve a Brutis percipietur. Quum igitur pecudes omnibus, qui in homine ambabus paſſionibus affecto patent, ſignis agere videantur, nullum hac de re fateri cogimur hujus ab illis intereſſe diſcrimen. In animantibus ſane cujuſcumque generis eadem ac in nobis in fame nimirum explenda cunctis cernentibus ſeſe offert cupiditas; eaedem contra corporis contorſiones, geſticulationes, atque clamores in vehementiſſimis doloribus quum in homine, tum in Bruto.

§ 109. Qui ergo contra Belluarum ſpiritum diſſerunt, motuſque omnes earum ſpontaneos ad quaſdam elateris vires, ac leges referunt, non adhuc ipſi rem bene attigiſſe videntur, neque praeterea ulla gravi ratione mechanicam Brutorum ad agendum neceſſitatem aperte oſtendiſſe dicendi ſunt. Quippe motus, qui determinati ad unum fiunt, quique ab inanimatis rebus abſque ulla; ut cum ſcholis loquamur; *ſpontaneitate* efficiuntur, certis tantum atque immutabilibus naturae legibus peraguntur. Corpus videlicet in motu poſitum eadem velocitate, eademque directione moveri perſeverat, niſi ab externa aliqua cauſſa aut cohibeatur, aut alias in partes flectatur. Ita ſe habere corporum quorumlibet motum, univerſorum philoſophorum conſenſu probata ſententia eſt; de qua etiam conſuli poſſunt quae re-

recentes Newtonus, Graveſandus, Muſſchembroeckius, aliique ſcriptis prodiderunt. Quum itaque pecudes ſpontaneis motibus ſeſe dirigere videantur, nulla certe externa cauſſa inveniri poteſt, quae belluas ad motus quoſlibet determinatas aut cohibeat, aut in alias partes a determinatione ipſa deflectat: quum nimirum Bruta quotidie a ſomno ſurgunt; poſtquam mortuis ſimillima humi ſtrata jacuerint; niſi vis aliqua admittatur in iis, qua ſurgant, fateri quiſque debet, ingentem exempli grat. Elephantis machinam a quiete ad motum ſuapte natura excitari. Id provenire autem ſi dicatur ex motione ab objectis externis in illius Bruti corpus impacta, ineptum eſt prorſus: experimento quippe didicimus, eaſdem fieri plerumque inde commotiones, immobilibus interim animantibus. Oſtendatur ſcilicet jacenti Cani corpus pani, aut etiam obſonio ſimile, ſurget, accedet, ac continuo oculis, naribus, aut forte guſtu fraudem impoſturamque comperiet: itaque recumbet iterum. Eidem denuo jacenti fictus exhibeatur panis, fortaſſis ſurget ſecundo: at fraude demum melius detecta, ſi centies inſuper idem porrigas eſculentum, ne aures non ſolum attollere aut quatere videbitur, verum etiam oculos avertet, atque dormitabit. Quid plura? Iiſdem poſitis objectorum motionibus externis, eademque exiſtente animantis machinula, cur non eadem in Cane operationes, niſi ex ſpontanea ſui deliberatione, quae ex vario de rebus perceptis judicio diſcrimen agendi manifeſte prodit? Accedit huc eadem ratio, quae ſuadet, cur belluae quamplures in ipſo ſui velociori motus impetu repente conſiſtere cernantur, ſi aut viderint aliquid, aut audiverint

rint, aut olfecerint, quod conſpectum a ſe antea non fuerat. Aves nonnullae, nempe Grues, Anſeres, Palumbes, aliaeque turmatim volitantes, vel ſibilo, vel voce hominis audita, aut venatore eminus, cominuſve conſpecto, confeſtim velociſſimum volatum aliò divertunt, aut forte in adverſam dirigunt partem. Canes, Equi, Damae, Lepores, aliaque animantia quoque motu perniciſſimo praedita, vel aquae conſpectu, vel rupis, hominis, alteriuſve animalis ſibi infeſti inopinata praeſentia, aut ſtatim a rapido eorum curſu deſiſtunt immobiles, aut motus ipſius directionem ſtatim ſolent immutare. Si motus igitur ſpontaneos pecudibus denegare, atque automaticam in ipſis tantum vim agere legitime, ac perſpicue eorum adverſarii, ut par eſt, vellent demonſtrare, oſtendendum perinde illis maneret, tantam reipſa extra Bruta illa confluxiſſe virtutem, quae eorum concitatiſſimos impetus ſuperaſſet: haud quippe motus extemplò per ſeſe extinguitur, neque validiſſima idcirco, quae ſemel caepta eſt, directio unquam diſtrahi in commemoratis belluis potuit, niſi aeque validiſſimi ſaltem objecti alicujus conatu, qui ſibilum, vocem, aut rupis, fluminis, aliorumque id genus effluvia plane exceſſerit adeo, ut ea phoenomena, aliaque multo miranda producere per ſeſe tandem aliquando potuerit. Utrum mechanicarum legum patroni, quum de belluis agunt, tam impoſſibilia praeſtiterint adhuc, aut deinceps ſint pro ſua cauſſa facturi, eorum eſto judicium, qui tum in horum Scriptorum lectione ſunt apprime eruditi atque verſati, tum ab illorum expungendi ſunt numero, qui veſano partium ſtudio potius ſapientiam, quam praeclara rationis uſura metiuntur.

§ 110. Om-

§ 110. Omne itaque animantium genus ſagacitate praeditum, atque affectibus, perinde ac homines, correptum; quemadmodum hucuſque exhibitum accurate fuit; haud ipſum ſane tantis polleret facultatibus, niſi hominum eorumdem more objecta rerum varia diſtingueret; utilia nimirum a noxiis, amica ab infeſtis facile internoſceret. Negari ſiquidem a nemine poterit ex voce, ſibilo, odore, aliiſque ſignis cuncta a Brutis optime diſcerni, quae externorum ſenſuum organa feriunt: quare iis ſemel perceptis, ſi amica aut ſibi conſentanea eſſe dignoſcant, toti continuo ſe comparant, ut blande amiceque excipiant; contra vero ſi inimica perſentiant ſtatim in praelium erumpunt, exaſperanturque adeo, ut in extremum vitae diſcrimen, ſi rès ferat, prodire non paveant. Canes ſcilicet; quos inter innumera Bruta familiarius arctiuſque inter nos verſari uſuvenit; haud prius diſſitum incertumque rumorem auſcultarunt, quam ipſi erectis adſurgant auribus & adſtent ancipites, quouſque amici ne adveniant, an inimici eminus internoſcant: propterea aut in illos inſilire furentes, aut his blandientes occurrere quiſquis paſſim intuetur.

§ 111. Itaque propter hujuſmodi diſcernendi vim, quemadmodum injuriae, aut mali cujuslibet inſtantis opinio in iram metumque hominem adigunt, ita iiſdem affectibus belluas corripi neceſſe eſt, quae, facta inter plura collatione, malum aliquod inſtare ſibi quandoque judicabunt. Porro quae iram in homine antecedunt, vel conſequuntur, eadem exacte omnino in Brutis quamplurimis apparent: Irae haec in homine ſigna: excande-

ſcunt vultus, & oculi; contrahuntur pili, geſtiunt artus. Inde violenti motus; adverſus pericula impetus; in id quod caepere pertinaces, ac neceſſitudinum immemores eſſe deprehenduntur. Pervium eſt quoque in Cane irato intueri quam cito rubeſcant oculi, corripiantur undique pili. Tardi initio patent quidem, graveſque motus; ejuſque ira oculorum capitiſque agitationibus deinde progreditur: mox immanis conſequitur, feruſque impetus; nullius periculi metus, nulla aeque in familiares reverentia.

§ 112. Quapropter, quomodo non poteſt animal ullum non illud ſponte appetere, quod accommodatum ad naturam appareat, ſic non poteſt objectam rem perſpicuam, probeque diſtinctam non approbare. Quae enim quid percipiunt Bruta, adſentiuntur ſtatim; propterea quia rerum praeteritarum memoriam cum praeſentibus conferant, deinde earum ſimilitudines diſſimilitudineſque quam cito comprehendant: Aut ſi forte ipſa adſenſionem ſuſtinere ex incertis nonnullis eorum actionibus groſſibuſque videantur, id aliquando rerum obſcuritate, metu, aut memoriae imbecillitate eveniſſe dicamus; quod tamen in earum perſpicuitate, atque integra animantium ad res tenendas virtute non eſt, cujus omnis conſtantia, & firmitas ex his rebus conſtat, quibus adſenſa eſt, & quas ſemel adprobavit. Ad rem maxime facerent immenſa, quae mihi recentiſſime contigerunt hiſce diebus Canum, aliorumque Brutorum exempla; unde ſuperiora hucuſque de eorumdem perceptionibus, affectibus, virtutibuſque firmarentur, indeque adverſus pecudum impugnatores argumenta apodictica

ctica peteremus. Attamen mihi pro brevitate ſollicite conſulenti unum maxime ex tot tantiſque liceat deligere, quod pridie dum haec Florentiae Commentaria perſequor calamo geſtum eſſe me cernente, & ſtupente profiteor. Redux ex Britannia elapſis diebus in Patriam advenerat Clariſ. Vincentius Martinellius ſeptuagenario major; Vir in omni Philologia, atque in Hiſtoriae ratione celebratiſſimus. Ut primum Florentiam petierat, Alexandri Dodſwardi illuſtris familiariſſimi ſui inviſendi gratia extra Urbis moenia illius Villam continuo adire properavit. Huic Martinellius quatuor ab hinc annis Canem apud ſe blanditiis altum, atque educatum, Londini quum ambo manerent, dono commendaverat, eumque ſecum Alexander ex Anglia diſcedens adſportatum feſtivitatis atque excubiarum cauſſa intra domicilii ſui ſepta quam amanter cuſtodiebat. Advena itaque amicus Villae oſtium attingit, pulſat, eique non multo poſt, Cane eodem comitante, laetabundus ad fores aperiendas occurrit idem Dodſwardus. Dum inter amicos prima, quemadmodum adſolet, ingentis laetitiae, ac urbanitatis officia dividuntur, geſtientem, ejulantem, ſaltibus inuſitatis Vincentium adgredientem eique mirum in modum blandientem Canem vidiſſes, quomodo, multoque amplius agere bellua ipſa conſueverat, quum in Londinenſi domo praeteritis temporibus apud herum priſtinum verſaretur. Itaque ſupervacaneum ulterius animadvertere exiſtimo ex propoſita hiſtoria quae, & quantum fide digna juxta ſuſceptam argumentationem erui poſſent ad rem noſtram, niſi aliò convertenda eſſet oratio.

§ 113 Quaerendum eſt ergo in animantibus cunctis quid ſit eorum extremum, quid ultimum bonorum, ad quod omnia eorum geſta, & vota referri oporteat, ipſum autem nuſquam. Porro omne animal, ſimulatque natum ſit, voluptatem appetere, eaque gaudere ut ſummo bono; dolorem adſpernari ut ſummum malum, & quantum poſſit a ſe repellere niti quotidiana edocti experientia intuemur. Nos autem quoniam detractis de homine ſenſibus reliqui nihil eſſe quod appetamus, ſive fugiamus intima conſcientia ſentimus, quidnam Brutis ineſſe putabimus, quod aut ea ad quaerendum pelliciat, aut ad reprobandum vehementiſſime urgeat, ſi ſenſus omnis vigor, ut in nobis eſt, agendorum ſumma ratio, ita ab iiſdem repellatur, ejuſque loco mechanicum prorſus atque exanime naturae opificium in ipſis comminiſcamur.

§ 114. Quantum vero futilis illa ſapienti viro videri debet difficultas, quae belluas inter & homines affert in rebus ſentiendis ingens diſcrimen, fuſe demonſtrandi hic locus, tempuſque non eſt; niſi quaedam obiter attingamus, quae caeteris mox dicendis iter facilius patefaciant. Exiſtunt nimirum Carteſiani aſſeclae nonnulli adhuc, qui ſubtiliter admodum diſputare videntur, neque inficiari dubitant eum in Brutis voluptatis doloriſque intimum ſenſum, qui, ut homines, in amorem vel fugam animantia omnia compellat: quippe dicere audent illi, eatenus nobis de eodem ſenſu licere tuto decernere, quatenus abditiſſima rerum perceptarum conſcientia experiamur quid nobis prodeſſo, aut arridere, quid contra officere, aut diſplicere quoquomodo

do poſſit; caeterum nemo huc uſque pecudum mentem ejuſque ſtatum potuit unquam per ſe ſe introſpicere, aut ab ipſis ſciſcitari, quidnam diverſum reipſa perciperent quum ſibi voluptuoſa contingerent, quod in doloribus non ſentirent, vel moleſtiſſimo cruciatu potius ſufficeretur. Paucis tamen dimitti a nobis deberent iſtiuſmodi diſputatores, niſi indociles; & ab omni veritate extorres perfracte vellent ipſi conſiſtere. Nonne ergo exilientis corporis perſpicua argumenta, laetitiae compertiſſima indicia, rerum comparandarum cura; contra vero moerores, metus, famis ſitiſque explendae angores, in cruciatibus clamores; omniumque eorum repulſio, quae noxia & inimica ſibi belluae intimo diſcernunt judicio, id tandem cuique bene inſtituto perſuadebunt, & appetendi, & refugiendi, & omnino rerum gerendarum initia, aut a vera voluptate, aut dolore proficiſci? Quapropter qui nullo prorſus fulti argumento temere in vulgus jactare non verentur, Bruta ita ſe habentia nihil continere cum extremo agentium rationalium fine commune, tum ſanae mentis uſum deferere ipſi dicendi ſunt, tum eo uſque ſe ſe proripiunt in praeceps errorum peſſimorum exitium, quibus nihil & homini, & philoſopho evenire pejus poteſt. Quidni & homines nulla unquam germana voluptatis dolorifque perceptione perculſi, eadem peragere abſque fine aſſerentur, quae pecudes elateris corporei legibus, & mechanica ſanguinis humorumque excurrentium oeconomia ſolum horum iudicio abſolvuntur, qui animum omnem ab illis abjiciunt?

§. 115. Reſtat modo locus huic noſtrorum Commentario-

tariorum Capiti vel maxime neceſſarius, de Brutorum in homines amicitia; quemadmodum inter nos ea nihil majus, nihil uberius, nihil ipſa jucundius fore univerſi teſtantur ſapientes; quam fortaſſis qui ab animantibus auferre conantur, ii quidem non cum belluis, ſed cum ipſis hominibus dimicant. Mutuum autem inquam hominum Brutorumque non ſolum amorem, quum beneficiis, ac ſolatiis invicem deliniuntur, verum etiam ad eam me confero orationē caritatem, qua ſemetipſa viciſſim, intra ſuum praeſertim quibuſque genus, arctiſſime dulciſſimeque complecti ſaepe conſpiciuntur. Itaque quum ſolitudo, & vita ſine amicis inſidiarum, & formidinum plena ſit; quibus item accedant egeſtates permultae, a quibus levari abſque alterius auxilio quiſque non valeat, recta ratio monet, ut de aliorum comparando amore perpetuò cogitemus, quo adepto & malorum periculo liberetur animus collatiſque commodis confirmetur, & a ſpe pariendarum voluptatum non ſejungatur. Quaecumque igitur de amicitiae laudibus, atque utilitate dicta a ſapientibus habentur, ea certe nonniſi a naturae fonte hauſta idcirco dicantur, quòd inſtituendarum amicitiarum conſuetudo a voluptate rerum humanarum domina, nec non a malorum depellendorum opinione fluxerit; quae duo in ipſa natura viventium maxime dominantur. Itaque nihil eſſe proſperum niſi voluptatem, nihil inproſperum, aut injucundum niſi dolorem quum vel ipſae ferociores belluae a magiſtra, & duce natura fuerint primitus edoctae, quaenam cauſſa interceſſerit, cur amicitia ab ipſorum animis evelleretur, niſi inſana philoſophiae reformandae, aut forte vituperandae, cupi-

ditas,

ditas, equidem non intelligo, Verum de Brutorum amore, deque iis omnibus eorum animi motibus, qui ſpontanei recte dicuntur, alibi agemus deinde opportunius.

§ 116. Nunc ergo ſermocinemur oportet de iis animae ſignis, quae externam portendunt judicandi ſpeciem; quidquid nimirum oculis, pedibus, aurium erectione, vocibus, ſibilo, aliiſque velut totidem inſtrumentis exprimunt pecudes, id demum evidentiſſime innuere, quod nobis perinde affectibus variis praeoccupatis ſolet evenire, quum iiſdem aut pene ſimillimis utimur argumentis. Inanis omnino appellaretur inveſtigatio, quomodo nempe animantium loquela fuerit inſtituta, quibus adhibeatur legibus, in quo a multiplici hominum idiomate diſcrepet, & ſi quae ſunt alia ad diſputandum ſupervacanea non minus, quam chachinnis digniſſima. Tot ſiquidem tantaque a perdocto Fabricio edita fuere in ſuo peculiari de *Brutorum loquela* volumine ab auctoritatibus, hiſtoriis, ratione, atque experimentis multis petita, ut, etſi vox Brutorum articulata non ſit, nec tanta forte torporum varietate diſcreta, quemadmodum noſtra eſt, ipſam tamen tum humanam aemulari, ac tum maxime id demum omne ſignificare, quod a nobis ejus ope peragitur, dilucide oſtendit ejus argumentatio. Dicere praetermitto quod peculiarem animantium attinet educationem, cujus auxilio & aliquorum patientiſſima ſedulitate factum quandoque fuit, teſtantibus eodem Fabricio, atque Rorario (a) ut ipſa ad verba fundenda articulate ſonantia pervenire ſaepe potuerint; ne illud tanquam rei noſtrae conſentaneum uſur-

(a) *In Opuſc. ſupr. laudato pag. 76.*

uſurpare velle videamur, quod non a naturae inſtitutis ſed ab una hominum in pecudes arte profectum eſt. Quamobrem non ab artificio, ſed a natura ipſa expiſcari neceſſe eſt quid pecudes loquendo valeant, & quid earum vocibus animo affectibuſque comprehenſum vere reſpondeat. Illa autem, quae eſt omni dubio procul doctorum indoctorumque magiſtra, unumquemque bene in praeclaram veritatem affectum, neque ullo partium ſtudio praeoccupatum docet, haſce a Brutis pleriſque edi voces pro diverſis eorum occaſionibus cauſſiſque impellentibus, quarum indiciis amorem, cupiditatem, aut contra odium, iracundiam mente conceptam manifeſtare conſueſcunt. Iure propterea Theodatus Oſſius ad rem noſtram plura habet, quae ut expendantur digniſſima quidem ſunt (a); inter quae ſequentia maxime teneantur. *Certum eſt autem bruta ſuos conceptus exprimere, aliiſque manifeſtare, non ſolum geſtu, viſu, ſed etiam voce multiformi, diverſimode articulata: verum non pronuntiant illas litteras alphabeti, aut vocales, aut conſonantes, quas homines exprimere conſtat; quamobrem hominibus loquutio proprie adſcribitur.* Verum aliquibus deinde interjectis alia non minus animadvertenda ſubdit: *Bruta quoque, & aves ſuas paſſiones mutuo explicant, quum diverſimode ad cibum, ad ſocietatem, ad fugam, ad coitum, ad viam incitentur, voceſque immutent.* Addit ulterius eodem loco: *Verum mirari ſubit ſapientis naturae providentiam, quae variis modis, & inſtrumentis ſingulis animantibus ſua diſtribuit ſigna, quibus animi affectus de-*

(a) *In Cadmeja Segea pag.* 24.

demonſtrent, vocem nempe, ſonum, geſtum, adſpectum tactum, loquelam, &c. Ita vero cogitationum affectuumque patentia utique argumenta in omnium ferme Brutorum actibus, aut animae ſpiritalis, quae hujuſmodi exterioribus notis apparet, conſtitutionem cuique non indocili philoſopho debet facile perſuadere, aut Brutorum eorumdem animam ſimulatos quoſdam tantum affectus homini caeteriſque belluis prodere ſine antecedenti ulla cogitatione temere atque ineptiſſime dicamus oportet, aut fruſtra naturam aliquid fuiſſe molitam, quod ſupervacaneum prorſus reipſa ſit, quum pecudibus multa humanis vocibus ſimilia, & geſtus varios, & ſignorum multiplicitatem conceſſerit, non minus ſtulte effutire cogamur. Quae profecto opinari, eaque clateris, & mechaniſmi viribus explicare quamprimum quiſquis auſus fuerit; niſi ad inſaniam quam proxime velit accedere, non tam inanibus verbis, quam firma praeclaraque argumentatione debet confirmare. Attamen quis eorum huc uſque Carteſii dogmatibus addictiſſimus illud attigit demonſtrationibus faſtigium, unde ſi non mathematica, ſatis probabili nihilominus evidentia conſtaret, abſque ullo penitus ſenſus mentiſque principio tam magna, tam mira pecudes efficere poſſe quanta reipſa multiplici ſignorum ſpecie intuentibus quotidie objiciuntur, quae item ab homine ſine intimo rationis affectuumque imperante ſimili principio non fiunt. Nemo ſane: nec injuria id affirmari ab unoquoque debet, cui non verba atque una Carteſiani ſyſtematis doctrina pro apodicticis argumentis valeant. Qui autem rem a ſinceris minimeque ſuſpectis veri cujuslibet fontibus in-

dagi-

dagine ſua petere exoptant, nec fucatis larvatiſque veritatis veluti ſimulacris inaniſſime delectantur, ii procul dubio non tam flocci pendere id genus ſyſtemata conſuevere, quam de Brutorum anima multo ſaniori philoſophia non temere audent diſputare. Sed de animantium vocibus, caeteriſque animae ſentientis notis indubiis adverſus Automatum ſomniatores, dicam ne potius, quam diſputatores multo uberius, multoque validius alibi diſſertatio triumphabit. Nunc itaque alia aeque Capiti huic magis conſentanea verſare curemus.

§ 117. Nos itaque, qui non ab induſtria, ſed ab illiberali labore deterremur, ſtudii multum, multumque ratiocinationis impendere deinceps neceſſe habemus, ut ab animae corporeae veluti coeno ad germanam intelligendi conditionem, atque nitorem Brutorum ingenia transferamus: quod etſi non adhuc viritim fecerimus, nobis tamen ne faciamus impoſterum non interdictum putamus. Cur autem eo uſque, quin praeſtiterimus, deventum fuerit, cauſſae interceſſere quamplures, quae cantu difficillimae haud ſunt, quamprimum ad ea mentem converterit quiſquam, quae in hujuſce Capitis limine pollicebamur. Neſcii nimirum haudquaquam eramus totum quodcumque ſermonis noſtri robur, quod latinis Commentariis mandaremus, fore ut in varias reprehenſiones incurreret, niſi primum per omne animantium genus multiplici animadverſione excurriſſemus.

§ 118. Praetermiſſis itaque pluribus aliis pene infinitis, quae quum in volatilibus, tum in terreſtribus variis animantibus ingenii ad res hauriendas facultatem, memoriae vim, ac voluntatis poteſtatem apertiſ-

ſime,

sime, multoque acrius decernerent, atque firmarent, quam quae uberi admodum oratione nostra perfectum hactenus fuit, supereſt demum ut aquatilia etiam animadverſionibus saltem nonnullis attingamus, ut ex omnium Brutorum generibus illud absolvamus quod nobismetipsis fuerat sermonis hujusce initio constitutum. Inter innumera piscium genera eos tantum deligemus, qui plerumque compertiores sunt, quique ab unoquoque Philosopho propria valeant experientia tentari, quare Scaurum Piscem Philosophiae Naturalis Scriptoribus notissimum, ejusque ingenium haud hebete ex Clariss. Ulyssis Aldovrandi elucubrationibus eruditis & uberrimis primo inter aquatilia mente aliqua praedita constituamus. Ipse namque juxta Aristotelis, Athenaei, Plutarchi, Oppiani, Aeliani, Plinii, aliorumque fidem tradit, eum prudentia, vafritie, amicitia pluribusque cogitantis alicujus substantiae dotibus institutum tam bene a natura, ut intuentes homines atque animadvertentes ipsum prorsus agendi morem eidem animantium generi debeamus pro sanae mentis aequitate attribuere, quem homini exculto animaeque viribus exserendis expedito conferre nullatenus dubitamus. Hujusce Piscis mores enucleatius tradere praeteream, propterea quia aliorum aquatilium sermoni propediem habendo locum relinquamus oportet, antequam Capiti huic coronidem supremam imponamus,

§ 119. Infra pelagiorum Piscium censum, qui squamosi non sunt, comprehensae describuntur Pelamydes, quarum carne divitum mensae, ea qua ad vescendum salubres sunt tempestate, lauto apparatu instruuntur.

Ha-

Harum tamen, quemadmodum & Thynnorum omnium, ingenium noſtra cum primis intereſt patefacere. Utrumque gregale Piſcium genus eſſe ex Ariſtotele, Plinio, caeteriſque in tota antiquitate claſſicis ſcriptoribus notiſſimum eſt, qui turmatim ex magno mari Pontum intrare memoriae prodiderunt; idque paſſim audiuntur piſcatores confirmare, qui maximo collecto agmine vagari migrareque utroſque conſpiciunt. Quum itaque teſte eodem Plinio (*a*) gregatim iſti ex uno in aliud mare vagantur, calliditatem adhibent hac ratione, atque ſolertiam: ſcilicet ſenſu exquiſito tempeſtatum immutationes percipientes eo conſiſtere aquarum loco delectantur, quem ſuae ſoſpitati, voluptatique accommodatum magis eſſe dignoverint; neque inde dimoveri in alium migraturi patiuntur, niſi temporis conditio, quam probe diſcernunt, ad iter ſuſcipiendum invitet. Ventorum quoque flatus ita ſentire videntur, ut ad eorum directionem ſe ferri ſaepe permittant, & ſecundo vehi fluctu nonniſi conſulto velint, quum ſibi diſcedendi opportunitatem proponunt. Thynnorum autem in natando ordinem atque diſciplinam plane admirandam ſic deſcribit Plutarchus, ut niſi de hiſce aquatilibus alia ex Oppiano (*b*) atque Aeliano (*c*) non minus ingenioſa haberemus, ea ſupra fidem non ab intemperantioribus ſolum criticis ad veritatis tribunal fortaſſis traherentur, aut in aſſentiendo haererent ſuſpenſi. Itaque praeter alia plura, quae horum animantium propria ab eodem Plu-

(a) *Lib. VIII. Cap.* 13.
(b) *De Piſcat. lib.* 3.
(c) *De Animal. lib. I. Cap.* 40.

Plutarcho affirmantur, illud ab iſtis ſingulari aſtu & conſilio fieri inficiari nequimus, cur exoriente canicula, & ingraveſcente aeſtivo calore in Euxinum mare natare ita contendant, ut inter ſe veluti contextis turmis huc illac circumeant ſibique hac corporum conjunctione umbram invicem praebeant, ſeque a caleſcentibus ſolis radiis commode tueantur. Ab horum vero marinorum Brutorum ſolertia ad alia brevi inveſtiganda tranſgrediamur.

§ 120. Amias piſces è gregalium numero perinde commendemus oportet, quòd ipſae videlicet, Ariſtotele narrante, (*a*) ament ſe invicem, opem propterea ſibi mutuam ferant, & quum neceſſe fuerit ab aggredientibus acerrime ſe ſe defendant. Quare audaces, & celeres eſſe, & ſaltu valere admodum luculenta Oppiani (*b*) atque Aeliani (*c*) ſuppetunt teſtimonia. Illarum vero contra Delphinos pugnae pertinaciſſimae poſtulant ut in memoratis nuper Auctoribus perlegantur; ut inde quae quantaque ſit mentis ad verae rationis regulas inſtitutae in iiſdem acies atque facultas arguamus. Si profecto a proſpero certaminum exitu de earum verſutia, & ingenio decernere fas eſſet, utrumque in Amiis tam ſubtile, atque ad exquiſitiores prudentiae conſtantiſque animi regulas tam bene inveniretur compoſitum, ut fortaſſis in multis tantumdem deſiderari poſſet ex noſtris, quibus affatim ſemper fuit cacteroqui intelligendi, cupiendique praecipuum munus a Deo Na-

(a) *Hiſtor. Animal. Lib. VIII. Cap.* 2.
(b) *De Piſcat.*
(c) *De Animal. Lib. VIII. Cap.* 13.

Naturae Auctore ſupra omnia Bruta collatum. Iſta tamen longiorem a nobis poſtulant orationem: quare rem perſequi, & magis opportunum erit in praeſens, & aliarum belluarum aquatilium hiſtoriam nequaquam praetermittere.

§ 121. Murenae audax in aggrediendis non aliis piſcibus ſolum, verum etiam hominibus, ſaevitia ſatis ſuperque nos docere valet, eam certe exſeri non poſſe niſi induſtria, cogitatione, & appetitu adjutoribus atque miniſtris. Ea quippe, quae, Plinio ſcribente, humanae carnis aviditſima eſt (*a*), omnem propterea calliditatem interponit, atque furorem, quo piſcatores adoriatur incautos, atque in ſicco etiam littore, amphibiorum more, hianti ore, venenatiſque dentibus perſequatur. Miro inſuper ingenio aſtuque in evitandis periculis a natura donatam ex Oppiano (*b*) aliiſque didicimus adeo, ut corporis ſui lubricitati roboriſque confiſa paratos ſibi retium hamorumque dolos facile vincat. Tantam eſſe autem hujuſce piſcis ſimulationem, atque vafritiem, ſi quando ad certamen cum Polypo, & Locuſta ſe comparet, ex Aeliani hiſtoria (*c*) erudimur, ut tantumdem nec amplius a doloſis acutiſque hominibus expectare deberemus.

§ 122. Delphini autem cognitio a nobis praetereunda non eſt in pluribus, quae illam liquido ſuadere videntur; tametſi nonnulla veluti fabuloſa abjici ab emunctae naris ſcriptoribus debuerint olim, quum omnia ab-

(a) *Lib. IX. Cap.* 13.
(b) *De Piſcat. Lib. III.*
(c) *De Animal. Lib. I. Cap.* 32.

abſque examine & inconſulta geſtorum veritate exciperentur. Porro nobis ex pluribus, quae traduntur, ea magis veroſimiliora viſa ſunt, quorum habet hiſtoriam Aelianus (*a*) accuratam, utpote ſedulus eorumdem Piſcium inveſtigator. Delphini, ſcilicet juxta aetatum rationem diſpoſiti gregatim natare conſpiciuntur; adeo ut parvuli in primo ordine locentur, quos natatione proximi ſequuntur deinde qui ſunt aetate magis confirmati. Quippe natu majores, quum parvulorum ſuorum ſint amantiſſimi, pro iiſdem vigilant adeo, ut, tanquam in militari cuneo, alii in prima acie, alii ſecunda, tertia alii conſtituantur, & ſeniores ipſi demum extremum agmen ducentes filiorum uxorumque natationem inſpiciant, atque gubernent.

§ 123. Dimitti ſane a nobis Diſputatio iſta vero non debet, antequam pauca quaedam de Cruſtaceorum primum ingeniis agamus ad rem hocce in Capite propoſitam magis-magiſque attollendam; deinde autem de Teſtaceis ſermocinandum brevi calamo nobis erit; quae duo ad aquatilium regnum aeque referri ab unoquoque, vel mediocriter hiſce in rebus verſato & ſapiente videntur; ne ſcilicet vel minimum aliquid deſiderare poſſis ſcribendi ſcopo conſentaneum quod fuerit, vel horum ignorantia, vel diſputantis deſidia praetermiſſum. Inter primi generis illos; quos ideo ita vocari conſueverint, quod tenui cruſta contegantur, ob quam a reliquis Piſcibus diſcernuntur; Locuſtae marinae principem locum ſibi vendicare jure poſſe videntur: quippe major in hiſce ſe praebeat animadvertenda in deligendo cibo

(a) *De Animal. Lib. X. Cap. 8.*

cibo prudentia, major in perſequendo fugiendoque hoſte ingenioſa adhibita celeritas, & majus denique elucet robur in pugna; ad quam praeterea apta ipſis praeſto ſunt inſtrumenta; haſtae videlicet; quibus nonnunquam, non aliter ac equites haſtati tanto concurrunt impetu, ut rumpere eas prius, prae conſtantia in pugnando vehementi, velle videantur, quam ab acie vel tantiſper remitti. Earum in committendis viribus ordinem, & veluti rei militaris diſciplinam deſcribunt pluribus Plinius (*a*), Ariſtoteles (*b*), Aelianus (*c*), aliique non pauci: quae ſane omnia veſanum etiam hominem, & pene ſtipitem acernum nos veeare compellent, ſi ab hiſce Brutis, quum ita bene ſe gerunt, mentem, ejuſque peritum uſum ſejungamus, atque in obfirmata Carteſianorum ſententia abſque ratione ulla forte conſentiamus. Illud item video in iiſdem animantibus tum rerum percipiendarum facilitate quas ſibi adverſas eſſe perſuadent, tum pathematum eorum, quae horribilium cognitionem conſequuntur in homine, vi, atque imperio mirum in modum evenire ſaepenumero; aut quoties fortuna ferat ad Polypi marini conſpectum; quod nobis inermibus ac inopinato accideret, ſi ſaeviſſimae & teterrimae belluae minitantem imminentemque rabiem declinare ullo pacto nequiremus; iiſdem inquam, ſi fides Plinio accommodanda eſt (*d*) accidere prae ingenti illius pavore repentinum interitum, quamprimum juxta ſe Polypum ipſae con-

(a) *Lib. IX. Cap.* 30.
(b) *Hiſtor. Animal. Lib. VIII. Cap.* 2.
(c) *De Animalib. Lib. IX. Cap.* 25.
(d) *Lib. XI. Cap. ultim.*

conſpexerint. Hujuſce admirandi eventus tum hiſtoriam, tum cauſſam potiſſimum, praeter laudatum Scriptorem, reliqui inſuper paulo ante advocati teſtes conceptis verbis conſpirantes aſſeverant; quibus accedit quoque Plutarchus (*a*), quem non minori dignum exiſtimatione penſamus. Progrediamur vero ad alia hujus generis, quae non minus de Cruſtaceorum ratione decernunt.

§ 124. Squillae etiam in Cruſtaceorum cenſum haberi debent, quarum tamen rationale aeque eſt ingenium. Quae enim cum Lupo marino bellum perpetuum gerunt, adverſus illius aſtum earumque vorandarum appetitum magnam ipſae perinde ejuſdem aut ſuperandi, aut interimendi ſagacitatem interponunt, & fraudes. Totum in utramque belluam commiſſum ſaepe praelium Aeliani verbis lubet enucleare. *Quum ſe interceptas* (ita ipſe Squillas commemorans (*b*)) *ſentiunt, faſtigium quod eminet a capite, quodque ſimile eſt acutiſſimo triremis roſtro, atque in ſumma parte ſecturas habet, modo ſerrulae uncinatae, hoc inquam animoſae illae beſtiolae quum incurvaverint, ſumma levitate ſaliunt, & tanquam ſaltatorium verſant orbem. Lupus ore maxime hiante, atque imminenti, quae eſt pelle tenera, & molli, ſquillam ex laſſitudine viribus defectam comprehendit, atque prandium fore arbitratur. Squilla primum in gutturis laxitate ſaltat, poſt aculeos in miſerum venatorem defigit; & lupum interficiens interficitur.*

§ 125. Magna, & admiranda quoque Cancrorum

i om-

(a) *De Solert. Animal.*

(b) *De Animalib. Lib. I. Cap.* 30.

omnium eſt calliditas, deque eorum mente bene cogitante conſpicuum argumentum, quum ſive ipſi inter ſe dimicant, ſive aquarum vim frangere tentant, ſive demum quum oſtreis conchiſque marinis diligentiſſime capiendis, ut ſaepe adſolent, delectantur. De eorum certaminibus, caeteriſque ingenioſe geſtis tum Plinius (*a*), & Oppianus unanimes agunt (*b*); potiſſimum vero D. Ambroſius (*c*) cujus verba hic referrentur concinne, niſi Orationem noſtram nimium infarcire vereremur. Quare pro brevitate ſolliciti ad alia tranſgredi ſimillima evolvenda toti continuo noſmetipſos comparamus.

§ 126. Teſtacea inquam animantia, quorum etſi genus a Cruſtaceis differre videatur, verſutia tamen, atque intelligendi facultate ita inanimatis omnibus praeſtat, quomodo hominum genus omne a Peripateticorum ſecta ferarum univerſitati antecellere maximopere dicebatur; neque propterea, quantum ad rationem adtinet, utrumque aliquid habere diſcriminis manifeſtis narrationibus affirmare jure poterimus. Cochleae itaque turbinatae, ſive aquatiles, ſive terreſtres, in ſingulis earum, qua late in Teſtaceorum natura patent, generibus animantia aliqua habere quae formident inimica, & cum quibus congrediantur, tradi a ſcriptoribus ſolent. Lacertis Cochleas univerſas inimiciſſimum genus eſſe teſtatur Plinius (*d*); contra vero Perdices, & Ardeas aves, tanquam adverſarios ſuos a Cochleis agnoſci, timerique, ſcri-

(a) *Lib. IX. Cap.* 32.
(b) *De Piſcat.*
(c) *Hiſtor. Lib. V. Cap.* 8.
(d) *Lib. VIII. Cap.* 39.

ſcribit Aelianus (*a*). Atque e Cochlearum genere, quae Ariones vocantur, majorem praeſeferre in agendo verſutiam circumſpiciuntur, ut earumdem avium perſequentium calliditatem decipiant. Eorum ſiquidem ita eſt a caeteris Cochleis disjuncta natura; ut abſque laeſione ulla, quum voluerint, ab eorum teſtis egrediantur; quas ſuffragante eodem Auctore potiſſimum vacuas dimittunt, & aliò abeunt, quamprimum hoſtes ſuos praevident imminentes, nec iterum redeunt intro, donec volucres illae ab eorum viciniis receſſerint fraudatae, & de capienda praeda deſperantes.

§ 127. Ex tot igitur, aliiſque pene infinitis, quae de Brutorum omnium indole in ſingulis quidem varia, ſemper autem ad oſtendendam mentis vim bene compoſita, diſputata hactenus ſunt, illud mihi videor poſſe legitime conficere, quod belluae rationem habeant a natura largitam, mentemque, & acrem, & vigentem celerrimeque multa ſimul agitantem, & ut ita dicam ſagacem, quae ut cauſſas rerum, & conſequutiones videat, & ſimilitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum praeſentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae conſequentis ſtatum: unde & quae ipſis delectabilia apparent ſollicite quaerantur, & quae contra noxia, triſtia, & incommoda eorum menti offerunt ſe ſe, non reſpuantur ſolum, verum etiam tota virium contentione ab iiſdem fugiantur. Ut nos itaque de ſpiritali hominum ingenio ex ſuis operibus probe argumentari dicimur, ita de belluarum anima ad cogitandum aptiſſima decernere jure nos poſſe videmur.

(*a*) *De Animal. Lib. X. Cap. V.*

§ 128. Si Brutorum igitur anima, quae ex illorum operibus satis superque philosopho docili minimeque cavilloso spiritalis deberet esse comperta, per se loqueretur, nec ea quidem tam pertinaces habuisset adversarios, neque jam tam praeclarissimae ob institutas huc usque demonstrationes eius veritati diutius victas demum concedere manus repugnarent. Itaque quanquam in superiori sermone, qui cum Cartesianis est habitus, non remissi fuerimus, tamen haec acrior est cum iisdem parata disputatio, atque contentio. Quae enim de belluarum Anima, juxta recensitas per tria singula earum genera operationes sunt disputata, ea nec acutissime neque profunde sunt pertractata. Qui praeterea mechanicam animantium in agendo vim defendunt, neque admodum versuti in differendo sunt, nec qui contra dicunt causam difficilem repulerunt. Attamen ad obstruenda penitus detrahentium ora nihil aptius aut conducibilius fore existimo, quam illis temere sententiae nostrae contradicentibus objicere, Brutorum nempe operationes, voces, gesticulationes, aliaque ab iis saepe adhibita ad vitam externa praesidia nonnisi illorum amplissimo generi a natura uberi & provida fuisse largita, quam ut se corpusque bene tuerentur; & animam in iisdem latentem, rerum plurimarum indigentem, sibi utilia perquirentem, & noxia quaeque praecaventem, eorumdem omnium ope patefacerent. Belluarum omnium animam nobis hac ratione tam diversimode de se loquentem ex iis quae illarum undequaque patent, quisquis argumentetur, vereri non debet ne, nisi forte a stultis, reprehendatur; quum ipse differendo a more in-

inſtitutoque majorum neutiquam aberraverit, qui aequae diſputationis leges non verbis ſolum, verum etiam opera ipſa ad omnem futuri temporis aeternitatem cuſtodiendas tradidere; tum etiam quod ipſe haec ad eos ſcribat, qui tum in Philoſophia tum in optimo genere Philoſophiae magnopere proceſſiſſe exiſtimantur.

§. 129. Quo igitur exactae rationis argumento ii ſemper progreſſi fuiſſe dicuntur, quorum aſſidua cura fuit ex effectibus purgata mentis acie perpenſis, & inter ſe collatis in alicujus cauſae vim cognitione ſe ſe attollere, cujus cum iiſdem effectibus conſtans intercedat relatio (quemadmodum nos in decernenda ſpiritali Brutorum anima legitime ita diſſeruiſſe gloriamur) contra ii perperam ſe geſſiſſe & adverſus dialectices praecepta turpiter peccaſſe liquet, qui nullo probato fulti theoremate in alterius cauſae cognitionem ex belluarum operibus adſcenderunt, quae nullam prorſus copulationem cum iiſdem habere videtur. Aut igitur Carteſiani exhibeant Philoſophis neceſſe eſt quonam denique rationis nexu tam mira, tam ingeniosa, tam ſolertia, & affectuum plena, quae in animantibus conſtant cum corporibus organicis omni anima deſtitutis; quae mechanica non ſit; probe cohereant, atque conſiſtant, quin quamplurima ſequantur incongrua philoſopho vere ingenuo vitanda; aut deſinant autem opinionem carpere noſtram, eamque ejus imbecillitatis inſimulare, quam nonniſi Carteſianae ſententiae propriam eſſe, velint ipſi nolint comperire debent, atque fateri; aut noverint demum nullius pretii eſſe quidquid ad placitum noſtrum infringendum non minus inconſultò jactare ſolent, quam

im-

imperite. Effutiunt ipſi nimirum, haud eſſe idcirco in belluis cogitantis loquentiſque animae indicia quaecumque ab illis peragi tanquam ab anima prodeuntia ſpecie tenus objiciuntur, quod non perſpicue omnique dubitatione ſemota intelligamus quod iis ſibi velint Bruta argumentis oſtendere, quae forte a mechanicis legibus, atque a naturae neceſſitate abſque ullo animae ſentientis imperio exorientur. Oh praeclaram diſputandi rationem; quae primo turpe uſurpat pro argumentatione mendacium, & illud deinde infert, quod eſt ab uſurpato principio penitus alienum! Quis cumprimis audeat inficiari, & pro judicii ſanitate puram putamque temeritatem opponere, animantia videlicet haud tantam mentis & ingenii ſui intuentibus copiam facere, ut propterea quiſque, non ſtupidus & animi impotens, ſed eruditus, & ad aequiorem Philoſophiam jure prae harum rerum obſcuritate dubitare queat ullam reipſa Brutorum intercedere cum hominis mente communionem? Attamen iſthaec Carteſii ſectatoribus inpraeſens prae nimia indulgentia aliquantiſper permittamus, atque univerſa in belluis animae vigentis, ſentientis, imperantiſque magnopere perſpicua caeteroqui ſigna tanquam involuta, incerta, & obſcura dicere ultro hallucinati patiamur. Itaque & Dialectici & Phyſici, quemadmodum verbis utuntur iis, quae non indoctioribus etiam nota non ſunt; Geometrae vero, Muſici, Grammatici, iſti quoque more quodam loquuntur ſuo prophanis impervio; ipſae item Rhetorum artes, quae ſunt totae forenſes, atque populares, verbis tamen in dicendo quaſi privatis utuntur ac ſuis; atque omiſſis hiſce artibus elegan-

gantibus atque ingenuis, ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis uterentur nobis incognitis, uſitatis ſibi; ac denique ſicuti agricultura etiam, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus verſatur, nominibus notavit novis, ita nihil mirum videri poſſet, ſi forte Bruta difficili, obſcuro, agreſti, & ſui generis proprio uterentur quodammodo vocabulorum promptuario, quod nonniſi ab iis teneretur exploratum & bene perceptum, quae communem cum reliquis animantibus fuiſſent ſortita naturam. Porro quum nihil inſanius fingi queat, neque magis a recto Philoſophorum ſenſu abhorrens quam ingenuarum, & mechanicarum earum artium propterea, non dicam parvipendere, ſed inficiari veritatem, utilitatemque, quòd a pleriſque ſuorum myſteriorum imperitis, atque nominum inſciis earumdem vis ignoretur, atque praeſtantia, inde conſequi praeclariſſimum eſt, nemini quoque, citra mentis veſaniam, fas eſſe de ſpiritali Brutorum anima ambigere, deque valida in ſuas operationes poteſtate contradicentem opponere audaciam, aut pro explanandis eorum phaenomenis ad ineptiſſimum ſyſtema confugere, proptereaquia non aliquibus continuo, & dilucide ea animantium innoteſcant operantium indicia, quae alii quamplures recte philoſophantes, & egregia imbuti ratione pro tutiſſimo animae ſpiritalis veluti idiomate uſurpant. Si quid igitur non habeant Carteſiani reliquum majus, quo placitum tueantur ſuum, in hac philoſophia adeo inopes fore deprehenduntur, ut continuo illos deferendos eſſe decernamus; unde ad alia praeſtantioris pretii, atque momenti ſequenti Capite

pite verſanda progrediamur. Interim verò moneamus oportet, nos ea perfeciſſe hactenus, quae extimam quodammodo diſputationis hujuſce naturam contingebant, ut primo pollicebamur Commentariorum limine. Quae autem ſcribenda modo ſunt reliqua diverſum ab iis plane aliquid ſtatuunt, cujus veritas non teſtium numero, & hiſtoriae fidei ſolum innititur, ſed aliunde dependere deinceps videbitur.

CA-



CAPUT IV*

Brutorum operationes, & quae ipſorum animales dicuntur functiones cum germanis ſenſus, atque irritabilitatis notionibus univerſim receptis conferuntur; atque inde ad adſtruendum eorumdem ſpiritale principium progreditur Oratio.

Rutorum qui nullum eſſe animantium genus rationis capax, atque ad omnia fere intelligenda, quemadmodum homines poſſunt, a natura comparatum inficiari ſolent, ii profecto omnem cogitandi curam a ſe penitus abjeciſſe videntur; neque niſi lippis oculis eorum operationes expenderunt. Illorum quippe cauſſa majoris quam ipſi putabant momenti arctiſſime efflagitabat per ſe ſe, ut eos aut vitioſae deſidiae inſimularet, qui caſdem funditus animadvertere nollent, quum bene ingenii acie valerent, aut ſummae verteret illo-

illorum ſtultitiae, qui affectum imperio & partium zelo praeoccupati, non prudentiae minus, quam eruditionis inopia, de difficillimis id genus inquiſitionibus, veluti ex tripode, tumenti, & putida ſimul magiſterii impoſtura reſponderent. Quamobrem qui belluarum grave admodum in Philoſophia negocium, earumque ad ingenii opera aptitudinem mordicus adſpernari, & peſſundare ſe velle tuentur, iis mihi Atheis ſimillimi eſſe videntur, quorum tanta eſt ſollicitudo ne ſupremum aliquod Numen ampliſſimae naturae univerſitati praeficiatur, quod colant, quodque merito debeant formidare, tametſi ad illud reprobandum neque ſapientiſſimorum Virorum auctoritas ulla, neque firma eas argumentorum vis aliqua impellat, aut praeclare ſuadeat. Iſti nimirum ita Solis, & Lunae converſiones, & ratos perenneſque curſus; ita ſyderum pulchritudinem varietatemque; ita telluris hujuſce adſpectabilis venuſtatem, amoenitatem, atque divitias, dum floribus, herbis, arboribus, frugibuſque exornatur; ita fontium gelidas perennitates, maris aeſtus, riparum viridiſſimarum apparatus, camporum immenſitatem, ſpeluncarum concavas altitudines, montium proceritates; ita varia genera beſtiarum, ferarum, volucrum, aquatilium, atque ſerpentium, quorum ad paſtum inquirendum vita ſolum condita eſſe a natura videtur; ita corpus hoc noſtrum, cujus omnia membra vel ad commodum, vel ad venuſtatem aptiora eſſe non poſſunt magiſque concinne conformata; ita demum omnia & ſingula in hoc orbe noſtro terraqueo ea ratione conſtituta, ut neque ad uſum meliora eſſe potuerint, neque ad ſpeciem pulchriora quotidie inquam contem-

plan-

plantur, quin intelligere tamen velint ineſſe aliquem in hujuſmodi ordinatiſſima rerum multarum, & magnarum adminiſtratione ſupremum Moderatorem, & tanti operis, tantique muneris principem veluti Architectum. Quare ut iſti nebulones tam pravo philoſophantes ingenio ſeu mavis in tanta philoſophiae perverſitate inſanientes dicendi merito ſunt; quum fortunae potius, quam ſapientiſſimae mentis conſilio univerſa committunt; ſic non immerito ad veſaniam ii videntur non minus accedere, qui de Brutorum anima perperam ſentire adeo profitentur, ut univerſa eorum opera plena caeteroquin rationis atque conſilii vel ad aequivocum ◇ eſcio quod ventientis animae principium referant, vel, quod eſt multo inconſultius atque deterius, organorum mechanico plane concurſui, ſanguiniſque circulationi penitus attribuant. Itaque ſi quando a germana philoſophia prophani id genus Scriptores in animantium rebus audeant aliquid effutire, ipſi profecto aut eorum nihil reipſa ſcire demonſtrant, aut neſcire diſſimulant, quae Phyſiologia docet, quae experimenta compertiſſima tradunt, & quaecumque tandem a ſolertioribus Viris detecta hodierna ſunt tempeſtate de fibrarum impetu, elatere, elaſticitate, de fluidorum omnium perniciſſimo in quolibet animantium corpore perpetuo circuitu, deque aliis pene infinitis, quorum neceſſarius eſt cum animae ſenſationibus mentiſque incorporeae operibus nexus, & mutua relatio. Igitur in hiſce analytice exquirendis expendendiſque verſabimur deinceps; indeque ad propoſitum denique Capitis hujuſce ſcopum elucubrandum reverti curabimus.

§ 131.

§ 131. Quemadmodum Phyſiologia ergo omnis, ejuſque leges a naturae viventis contemplatione derivatae id habent cum hominibus Brutiſque commune, ut partium organicarum diſpoſitiones, ac vires ſimul in illis acres, maximeque operantes utriſque viventibus abſoluta pene analogia congruant, hoc nobis proinde conſtituendum erit inpraeſens, ne pro animalium cogitantium cauſa facturi ab hiſce accuratiſſime expendendis accommodandiſque pro re nata vel hilum diſcedamus. Etenim praeſtanti Viro Georgio Baglivio docente (a), *qui analogice ab anatomia Inſectorum ad anatomiam Brutorum, ab hac ad illam hominum philoſophantur, optime philoſophantur: ſiquidem ſub genere viventium analogizant. Et quoniam attributa unius, facta ſufficienti partium enumeratione, optime reſpondent attributis alterius, ideo obſervata anatomica in Brutis, non ſolum facem praebuerunt obſervatis anatomicis in homine, ſed iiſdem adamuſſim congruunt: imo ex certa hac, & mutua analogia utrinque, & circulatio ſanguinis, & ſtructurae viſcerum, & alia innumera detecta ſunt tanta ſaeculi noſtri felicitate.*

§ 132. Non eſt autem ſupervacaneum nobis, quantum loci hujus patiuntur brevitates, animantium fibras inveſtigare earumque deinde activas facultates expendere, ut inde in Hallerianam irritabilitatem commodius tranſeamus. Illarum porro duo eſſe genera ut in homine, ita in animantibus pene omnibus univerſi Anatomici atque Phyſiologi fidem praebent latiſſimam; quarum unum membranaceum, carneum alterum dicunt.

Quae

(a) *Praxeos Medic. Lib. I. Cap. 6.*

Quae membranaceae exiſtunt in utriſque viventibus fibrae a cerebro cum pia & dura menynge, carneae vero a tendinibus ortum propaginemque ſuam ducere res eſt jam compertiſſima. Earumdem texturam, ac bene firmam compagem oculari experimento deprehendit olim praeclariſſimus idem Georgius Baglivius (*a*) de re medica optime meritus, quum anno 1701. Gallinam, Canem, & Cuniculum fame conſulto interemptos, in Theatro Anatomico cultro ſubjecit; in quibus etiam robur firmitatemque detexit, quamprimum intra plures diſparis naturae liquores illas rite diſſectas apprimeque lotas maceravit: quarum denique conſtantiſſimam ſoliditatem in leonina carne comperiſſe luculenter affirmat. Eorum vero piſcium, qui velocitate natandi prae caeteris valent, ut Delphini, Thynni, Xipiae &c. duriores animadvertit fibras, criſpatas, tenſaſque multo magis, quam quae in aliis aquatilibus animantibus apparerent, quorum tardior eſt ſemet movendi caeteroqui facultas. Par in terreſtribus nonnullis, atque volatilibus Brutis exploravit diſcrimen ab aliis ejuſdem generis Vir eximius, quorum non habetur tanta currendi volandique celeritas, quanta in utriſque functionibus illorum eſt exercitatio. Quare expeditiorem in belluis omnibus curſum petendum fore ille autumat non a majori circumgyrantis fluidi ſolum vi, verum etiam a peculiari ſolidorum ſtructura firmitateque pendere teſtatur.

§ 133. Quantum vero ad elateris vim, reſiſtentiam, & impulſum ſpectat, quibus membranaceae potiſſimum fibrae

(a) *De Fibra Motrice Lib. I. Cap.* 2.

fibrae in vivente quopiam animali donantur, paucis neceſſe eſt ut ſcribamus. Quum primis vero durae matris membrana (quae tota fibrillis contexta ſub cranio ſita latet) robuſta, craſſa, atque dividua iis praedita facultatibus comperitur, quarum autem vim experimenta diligenter a magnis Anatomicis facta perpetuo decreverunt. Quippe ipſa peculiari fibrarum ſtructura quum conſtet, ut tota ad conſtringendum exprimendumque facta videatur, inde eſt cur a Scriptoribus *cerebri cor* fuerit appellata: ſiquidem membranacei ejus villi, quibus undequaque veſtitur, criſpentur ſaepenumero atque contrahantur, non aequabilibus ſyſtolis atque diaſtolis niſibus tantum, verum etiam multo vehementius magiſque inordinate, quamprimum illam corpuſcula quaeque acria praeſertim fluida contingant. Id compertiſſimum habuere patientes permulti animantium Brutorum ſectores, qui tentamenta a ſe inita poſteritati etiam praeclaris memoriis tradidere: in Ovibus ſcilicet recens natis in Canibus, aliiſque quampluribus detexerunt primum; ſi quando acubus tenuiſſimis duram matrem pungerent, aut in eam acidos infunderent liquores; per omnes earum machinarum partes vehementiſſimos excitari convulſivos motus, tremores, jactationes, paralyſes, ejulatus, aliaque horrenda ſymptomata; deinde in eadem menynge, quae a cerebro progreditur, totamque infra dorſi vertebras medullam veſtit oblongatam, patefacta iiſdem ſimillima ſunt phoenomena a Clar. Viro Georgio Baglivio (*a*), cuius verba, tametſi fuſius quam propoſiti aequitas ſinat, exſcripta fortaſſe videantur, praeterire non

(a) *De Fibra Motrice Lib. I. Cap. V.*

non debemus. *Canem moloſſum vivum debite ligavi* (en illius hiſtoria) *cum amico meo Dom. Pallilio Viro ſincero, & moribus vere Romanis praedito. Separavi diligenter cutem, & muſculos dorſales prope dorſi vertebras: denudata una ex vertebris, terebravi eam maxima cum diligentia, quouſque terebrando perveni ad cavitatem ſpinalis medullae ſuis menyngibus involutae. Hoc facto ſolvimus canem, ut videremus an poſſet incedere: incedebat itaque ut prius, ſaltabat, ac bene ſe movebat. Denuo ipſum ligavimus, ſed tali modo, ut libere movere ſe poſſet hinc inde poſt experimenta, quae meditabamur. Foramen terebrationis in vertebra erat tantae capacitatis, ut Siringae foramen intrudi commode poſſet. Puncta per acum menynge ſpinalis medullae in loco terebrato, canis ſtatim, fortiter, ac per totum convellebatur; deinde paulo poſt quieſcebat. Siringato Spiritu vini tepido velocius reſpirabat, leviter veluti horrebat per totum. ac veluti paulo poſt ſomno corripiebatur. At quando in majori copia liquor hic injiciebatur tepidus, tremebat fortius, ſed cum hilaritate. Poſt duas horas ſiringatione iniiciebamus guttas aliquot Spiritus nitri ſoluti cum pauca aqua: tremebat vehementius, ejulabat, torquebatur: ſtupore primò corripiebatur; deinde motibus convulſivis, modo in partibus ſuperioribus, modo in inferioribus, prout acidus liquor modo partes ſuperiores, modo inferiores ſpinalis medullae magis vel minus alluebat, ac vellicabat. Comedit interea fruſtula panis ea nocte, & mane ſequenti ſtupidus videbatur, ſed magis expeditos motus peragebat parte poſteriori, quam anteriori corpo-*

poris. Mane igitur ſiringa injecimus Spiritum nitri purum in majori copia. Statim horrendi ululatus, ventris intumeſcentia, aliquando vomitus, aliquando ſpuma ex ore, motus convulſivi ingentes, lamentatio & ululatus magnus. Factis aliis ſiringationibus, dicta ſemper, ſed pauca cum liquoris praefati quantitate, creſcentibus ſenſim convulſionibus de repente obiit, & rigidus ſtatim evaſit veluti truncus. In aliis canibus terebravimus vertebras colli, in aliis vertebras ultimas verſus os ſacrum; & pro varia ſiringatione liquorum modo ſpirituoſorum, modo acrium & acidorum varia. Subnaſcebantur accidentia tremoris, convulſionis, paralyſis &c. modo in partibus circa caput, & pectus, modo in partibus circa viſcera naturalia. In catulo terebrato in vertebra tertia colli, facta ſiringatione decocti vitrioli in ſpinalem medullam, eoque injecto valde calido, ne dicam fervido, ſtatim periit convulſus. In pecude muſculum coxae diligenter cum eodem Dom. Pallilio a reliquis vicinis ſeparavi, pauca tantum non ſeparata ejuſdem portione, per quam poſſit vicinis adhaerere: abſciſſis hinc inde tendinibus hujus muſculi, eoque leni contractu adhaerente muſculo vicino, obſervavi ſeparatum muſculum, licet abſciſſi ſint tendines, obſcure moveri, contrahi, ſuas fibras criſpari, oſcillare, ſed obſcure. En quomodo per elaterem proprium, per vim in fibris elaſticam innatam moventur muſculi: id enim tentari poterit in Anate viva, aliisque volatilibus, vel quadrupedibus.

§ 134 Fibrillarum muſcularium in iis praeterea tam potens eſt actio, ut, ſemel ac contingantur, quolibet mu-

musculus rapidissima confestim contractione brevior, densior, durior, atque rigidior efficiatur; & ossa etiam, uno temporis puncto, quibus adnectitur, diversimode moveat, humoresque suis canalibus comprehensos in perniciissimum motum impellat. Musculorum hujuscemodi contractio postulat itaque, ut animales qui passim dicuntur spiritus virium suarum diversa efficiant incrementa. Fac igitur, eos spiritus majori ubertate celeritateque in nervos immitti aliquos, haud erit sane operosum, neque explicatu mirum, cur musculi tanta vi polleant, ut ad resistentiam ingentium quandoque ponderum superandam magnopere valeant; tametsi debilissima eorum sit caussa; materia nimirum juxta fibrarum confinia tenuis admodum, cujusmodi spiritus iidem esse concipiuntur: poruli namque, quos materia ingreditur illa, in infinitum pene dixerim multiplicantur, & musculi simul ob incredibilem fibrarum copiam coalescunt, ut microscopia liquido ostendunt, & acutissimus Iohannes Bernoullius integrali calculo demonstrationem adjecit. Quae insuper vis eo magis credibilis se se offert philosopho, si nervei ejusdem fluidi elasticitatem cum eorundem organorum elatere conjunctam animo ipse complectatur.

§ 135. Quae igitur de humani corporis valetudine infinitis propemodum voluminibus post restitutam medicae artis facultatem hactenus sunt exarata, eadem omnino Brutis, eorumque incolumitati servandae harum, quae nuper attigimus, theoriarum lumine facili debent analogia a nobis jure accommodari Pecudum scilicet corporeae machinae, ut pene iisdem aut simi-

libus morbis obnoxiae comperiuntur, ita contra eorum ſoſpitas ab iis pendet ſingulis aequabilis ſanitatis momentis, viribuſque plane comparibus, unde hominum vigor, & vitae conſtantia definitur. Sanguinis aliorumque fluidorum per omne organicum corpus circuitus, alterni aeris inſpirandi exſpirandique conatus, alimentorum coquendorum infra ventriculi clauſtra labor aſſiduus; & quae inde plura conſequuntur; chili ſeparationes, atque nutritiones innumerae, ſomnus denique, & ſi quod eſt aliud, cujus perfectio muſculis iis adnitentibus fieri debet, qui paſſim involuntarii appellantur, ita haec omnia ſunt in nobis, ut animantibus reliquis non deeſſe experimentorum hiſtoria deinceps afferenda perſpicue, ut reor, conſtabit. Quae autem animantium omnium abſolvendae functiones ſunt, quarum ea vis eſt, & naturalis diſciplina ut voluntariis efflagitent muſculis imperari, nihil erit profecto, quod adverſetur quominus aliorum tentaminum ductu in Brutis aeque ac in homine eaedem reipſa exerceri praeclare a nobis oſtendantur.

§ 136 Quidquid ergo animantibus, ſive noxium ſive ſalubre evenire perſaepe ſolet, quod per ſe ſe vel iis bene valentibus opituletur, vel ſanitatem laedat quoquomodo, ad duo principiorum genera revocari debere omnium me eorum praecepta compellunt, qui in tota Phyſiologia claſſici ſunt Scriptores, de eaque Principes optime meriti. Horum alia *nonnaturalia*, quaedam vero tam proſperae quam adverſae valetudinis *praeternaturalia* dicuntur initia; quorum tamen utrobique non numerus ſolum, verum etiam ad utrumque Bruto-

rum

rum ſtatum relatio patefacienda nobis erit inferius.

§ 137. Inter ea, quae viris etiam doctrinae pulchritudine praeſtantibus ſtuporem conciliare ſaepe ſolent, ea eſt corporis humani ſtructura, tantaque illius in abſorbentibus venis ſtructura, ut earum orificia; quippe molliſſimis, delicatis, & admodum irritabilibus fibrillis coaleſcentia; illico vehementer, rigentibus ſphynteris, contrahantur, quemadmodum celebratiſſimus docet Dom. Albertus Haller (*a*), quamprimum vel minima aliqua acris fluidi ſive bilioſi particula iis forte admoveatur: eo namque natura ipſa ita conſtituta ſibi quodammodo proſpicere adverſo niſu videtur, ut veneficus humor ille valetudini maxime infenſus continuo a circulatione repellatur. Haec autem conſtans naturae oeconomia tum primum viget, & ordinata progreditur quum corpus nullis praepeditur obſtaculis, & conſuetis valetudinis legibus libere obtemperat: verum ſecus rem ſe habere experiuntur periti naturae animalis inveſtigatores, ſi quando ea ſanguinis excurrentis vaſa elaſtica vi ſua, morborum vitio, deſtituantur: ſiquidem iſtericis, nec non hypocondriacis maxime affectionibus perculſa, & debilitata membra tam pervium iis iter parant humoribus, quanta acrioris ſtimuli vis eſt & acies, quae infirmam valeat facili negocio orificiorum vincere reſiſtentiam. *Si vero ſtagnans liquor* (eximii Viri de Gorter ad rem noſtram eſt animadverſio) *jenſim fit acrior, ut irritamento ſuo in ambitu haerentia oſcula poſſit commovere, id quod diu quietum haeſit ingre-*

 ditur

(a) *Praelect. Academ.* § 91.

ditur circulantia vasa, & inficit corpus. (a)

§ 138. Attamen quae sint morborum in animantibus causſae non est hic quod tempestive dicamus, nisi primum sanitatis sanciendae leges & munia nonnullis animadversionibus magis magisque constituantur. Solidae quippe in viventibus corporibus partes tum vasculorum multorum aggregatione, tum suis membranis sive vaginis totidem constant tenuissimis, utrobique etiam ex tubulis per quam exiguis textura earum admiranda penitus a Clariss. Ruischio sedulitate ingenti detecta fuit (b). Itaque quo solidae hujusmodi partes suis fungantur quaeque muneribus, elasticitatis vi pollere ea debent, quae illarum capacitati sit accommodata. Porro hujus haberi exacta notio solet in ratione composita ex impetus momentis, quibus liquida per singula animantium vasa excurrunt atque circumeunt, ac tum etiam ex tubulorum resistentia, qua donati ipsi a natura fuere. Etsi vero Brutorum morbi nec tam multiplices, neque tam frequentes eveniant, quemadmodum hominibus usuvenire solet, eorundem tamen sospitas rectusque membrorum tenor nobiscum est aeque communis.

§ 139. Valetudinis autem, quae saepe latitudo vulgo appellatur, a pluribus in animantium organis pendet motionum principiis, quarum vigore ut tota sanguinis humorumque caeterorum circulatio probe perficitur, ita earundem imminutione non ita late distenta sive hominis, sive Bruti sanitas jure solet appellari. Ne vero hac

(a) *Exercit. Medic. IV.* de Siti §. 14

(b) *Epist. Anat. Problem. Tab. III. Fig.* 1. 2. 3.

hac in re vitium obrepat aliquod, non tam cordis, quam omnium, quae ſanguifera vaſa dicuntur, motus vividus & conſtans ſerverur oportet adeo, ut ab eo tanquam a principe earundem motionum fonte per totam corporis organizationem ſibi ſemper ſimilis propagetur. Pro tuendis vero hac ratione machinae animalis motibus peculiaris ipſius cordis ſtructura maxime confert, cujus intertextae fibrae tam energica elaſticitate valent, quanta ſatis ſuperque eſt, unde elateris virtus vel iis minutiſſimis canaliculis quaquaverſus communicetur, per quorum diametrum vix globulis ſanguinis rubris tranſitus patere poſſe concipitur. Quae itaque in homine fieri Phyſiologi docent, eadem belluis omnigenae pene claſſis rite accommodantur.

§ 140. Tam late vero per omne animantium organicum corpus diſtenta elaſticitatis virtus, quae humorum circulationi ſuppetias affert maximas diverſum quid plane eſſe ab irritabilitatis momentis affirmemus oportet, de qua nobis propediem erit fuſius agendum; tametſi utraque in ſingulis animantibus vis, atque niſus mutuum ſibi auxilium praebeat, atque vigorem: quippe irritabilitas alternis, ut dicemus, fibrarum motibus ſe ſe exſerat; quorum tamen nulla eſſet poteſtas, niſi membrorum, vaſculorumque omnium elateres compreſſionem primum, & priſtinam deinde compreſſarum partium reſtitutionem exacte perficerent. Neque ergo irritabilitas abſque elatere, neque abſque illa elaſticitas ulla in animantibus vigeret. Attamen non ita ſibi mutuo utraeque iſtae opitulantur vires, ut nullus inter eas exiſtat principiorum & cauſſae ordo: quinimo facilis

lis illa in quampluribus animantium partibus semet contrahendi potestas, quamprimum ab externo aliquo corpore contingantur, in causa est, cur earundem elasticitas alternis suis compressionis restitutionisque motibus citissime obtemperet.

§ 141. Omnis itaque animantium Physiologia a membrorum irritabilitate ortum ducit, sine qua nec homines, nec Bruta aut aliquid agere, aut sentire unquam suasque vires omnes exserere potuissent, quibus a stipite & a rebus sensu carentibus secernuntur. Hujus porro veritas non ab Hallerii solum doctrina atque elucubratione pendet (a quo Hallerianae irritabilitatis nomen habet) neque commentis pto ejus lubito adinventis innititur, sed una potissimum naturae indagine tota consistit. Rationis est igitur rite compositae illius systemati fidem accommodare omnem; & si forte systematis vocem tantae doctrinae famae aliquid detrahere suspicemur, ab hoc etiam nomine libentissime abstineamus; eamque propterea legum constantissimarum perpetuam in animantibus a sapientissimo Viro factam animadversionem appellabimus, quibus natura sibimet continenter similis & aequabilis efficit, ut quae ab ipsis animantibus, aut pro delectabilibus appetendis conquirendisque, aut pro rebus dolorificis posthabendis fugiendisque exercentur, nonnisi huic uni utriusque invicem adversi conatus latissimam vim referant penitus acceptam.

§ 142. Operae demum pretium fore intelligimus, membrorum in animantibus irritationem ita in praesens describere, & ad rem propositam usurpare, ut tamen

ac-

accuratius ſingula perluſtremus, & nonnulla ab aliis conſpicue ſecernamus. Tria porro exiſtere in quopiam ſive pecudum, ſive hominum corpore non dubitamus, quorum momentis non ſanitatis viror tantum adſtrui poſſe dicitur, verum etiam vitae animalis conſtitutio omnis cuique probata eſt atque comperta. Quippe Clariſſimor. Virorum Hallerii, Zimmermanni, Caſtelii ſcitis apprime inſtituti nonnullas primum corporis viventis partes a reliquis debemus ſecernere, quae irritabilitatis ſolum robore inſtruuntur; exiſtunt illae deinde, quae ſenſu tantum ſunt praeditae, quin ulla exhibeant contractionis indicia; atque eae denique in organizata viventium machina inveniuntur partes, quae vivida tum ſenſus, tum irritationis ſimul ſigna portendunt. Quae ad tertium hujuſmodi genus ſpectant cor praecipue reconſent, cujus contractio per ſyſtolem diaſtolemque prae caeteris vehementior apparet; neque minus eadem ſemet contrahendi poteſtate valent diaphragma, ventriculus, inteſtina, vaſa lactea, ductus thoracicus, veſſica, mucoſi ſinus, uterus, genitalia, & ea generatim organa, quorum ex muſcularibus fibris totus eſt nexus. In iis autem, ubi ſenſus tantum abſque irritatione dominatur, locari debet cerebrum, nervi, ſtomachus, lingua, ureteres, penis, aliaeque partes, quas pro brevitate praeterimus. Reliquae vero nequo ſenſum, neque contractionem in ſe habent, quum ab aliquo extraneo corpore continguntur; cujuſmodi ſunt cuticula, cellularis textura, adeps, tendines, membranae omnes, ligamenta, perioſtium, pericranium, oſſa, medullaris ſubſtantia, cornea, iris, omneſque etiam venae, & ar-

te-

teriae; tametsi in hisce, si forte sensus aliquis quandoque excitetur, hoc propterea fieri putandum est, quod utraeque cum nervis confertae teneantur.

§ 143. Neque vero arbitrari debemus ab irritabilitatis, & sensibilitatis facultatibus eos solummodo in singulis animantibus excitari ac vigere motus, qui vulgo necessarii dicuntur, & ab immutabili vitae animalis ordine prodeunt: ipsae etiam spontaneae, quae passim vocantur operationes earundem virium ministerio ita peraguntur, ut anima voluntatis affectibus careret omnino, nisi utriusque adjutoribus in amorem, spem, odium, atque timorem vehementer impelleretur. Evidenti siquidem in nobismetipsis, experientia duce atque magistra, certiores fieri facili negocio possumus quantum urgeri animi pathemata soleant, quo sensus in homine magis est exquisitus, & ad membra convellenda mobilior est constitutio. Quare in Brutis par aut similis a Zootomicis quum fuerit detecta partium organicarum fluidorumque dispositio, atque periodus, quemadmodum in humanis corporibus jamdiu est demonstrata, jam ergo nihil reliquum supereſſe videtur, quam ut belluas & cogitare, & sentire, & animantium fungi muneribus, & affectibus ita exerceri variis haud incongrue opinemur, ut in earum diversis irritabilitatis momentis illorum omnium causſa sit reperienda.

§ 144. Quum vero de irritabilitatis causſa res est & inquisitio ab accuratissimis scriptoribus instituta; de illa autem cumprimis, quae a sensationis appulsu sejungi nequit; illud videmus plausu dignum eorum placitum, quod a mucosa quadam substantia petendum fore con-

constituunt, cujus copia, gelatinae instar, fibrae madefactae atque refertae earum semet convellendi energiam explicant, quamprimum exterorum corporum vellicatione pungantur. Potro non pro lubito conficta haec videtur exponendae irritabilitatis opinio, quòd ut in Brutis plerisque, ita etiam in hominibus tenerioris aetatis & in omni eorum adolescentia appareat conspicua magis hujusmodi tremoris alterni mobilitas, quam in iis, quorum adulta & obdurata corporis aetas gelatinoso humore aut careat omnino, aut imminuatur necesse est. Siquidem illi facile ab omnibus pene objectis percelluntur, ideoque toti aut subsultant laetitia, aut iracundia exardescunt, nec nisi magna difficultate seipsos temperare, aut cohibere valent, quin vel in delectabilia quaeque rapiantur, vel ab asperis ingratisque rebus vehementissime refugiant; contra autem in animantibus aliis rem se habere quotidie cernimus, quorum inveterata est corporis constitutio; in qua nimirum lubrica desideratur illa materies per omnes fibrarum anfractus effusa, & universae irritationis origo.

§ 145. Si igitur in Brutis eadem sit cum organizata hominum machina communis vasculorum, fluidorum, viriumque animalium omnium aeconomia, nihil dubitationis reliquum supereresse poterit, quominus in ipsis sensus vere vigeat ille, quo viventia quaeque a substantiis vita carentibus omnino discernuntur. Equidem non de illa sentiendi ampliſſima facultate loquimur, quae sensus internos singulos complectitur; quorum etiam ratio nobis seorsim disputandi copiam facient; verum eas solum in praesens vires intelligimus, quae

sen-

ſenſus vulgo externos, ad animae ſenſationem uſque conſtituunt, quorum praeterea initium tota qua ubique patet corporis viventis ſuperficie continetur, eorumque incrementum penitiores corporis partes cerebrum uſque pervadit.

§ 146. Senſus autem in viventibus duplex genus eſſe nemo optimis philoſophiae elementis inſtitutus adhuc ignoravit; cujus unum jucundas, alterum moleſtas animae comprehenderet ſenſationes: qua quidem in re paulo fuſius ut immoremur oportet, ne illud tandem nos praetereat, quod in hoc Capite maximum eſt diſputationis noſtrae conſilium. Porro quotquot ſunt partium organicarum peculiares in animantibus functiones, quae ad animalis vitae ſtatum pertinent ita in iis ſingulis peragi ſolent, ut, ſi aequa atque ordinata earum ſit oeconomia, quin perturbatio contingat ulla, grata illico ſenſatio conſequatur, & animal omne de ſua ſoſpitate laetetur; contra autem injucundas multiplicis generis toties in anima affectiones experiatur, quoties exleges ſint corporis cujuſcumque viventis functiones, neque ſingulis, quas obiter commemoravimus paulo antea, viribus exactiſſime ad perfectum naturae pondus obtemperent. Harum quidem praeclarum ſenſationum diſcrimen eo eſt in Brutis omnigenis cuique patulum, quo externa earundem ſigna aeque ac in hominibus ſunt decretoria: quare hiſce nonniſi is certe refragari debet in clariſſima noſtrorum temporum luce, qui, tametſi domeſticis atque infinitis pene perfuſus exemplis, perfecta noluerit tamen ratione optimique ſenſus inſtinctu philoſophari. Haud exiguus exemplorum in ſuperioribus

Ca-

Capitibus accerſitus eſt numerus, unde cuipiam res patefieri potuerit; nec minor erit deinde futurus, quum de belluarum vocibus, ejulatibus, geſticulationibus, aliiſque affectae ſenſu aliquo mentis indiciis ad propoſitum multo acrius ſuadendum ſermocinabimur. Hoc itaque in loco non alia ſupereſt nobis promovendae diſputationis tuta via, quam Mathematicorum more id totum velut indubium conſtituere, atque ab aequiſſimis lectoribus, ut ſepe adſolet, poſtulare, permulta illa videlicet laetitiae, aut contra doloris argumenta, quibus Bruta vel nunc exilire, vel aliquando angi videntur, totidem reipſa fore intimi ſenſus ab anima profectas, ut ajunt, perceptiones, quemadmodum erit alibi nobis ex inſtituto demonſtrandum.

§ 147. Quamprimum ergo hoc ipſum conſtituerimus, pervium maxime fore exiſtimamus ulterius arguendo progredi, poſteaquam alia quaedam non minus ſapientioribus firma atque patentia hic opportune edixerimus. Scilicet non intima ſolum conſcientia unicuique definitum eſſe debet, verum etiam Auguſtini (*a*), Tertulliani (*b*), atque Plutarchi (*c*) dictis, ab eodem principio habere jure in ſe hominem ut ſentiat, & ſimul intelligat: ita nempe ſenſus animam petit atque unus eſt, ut eodem ipſa tum afficiatur ac immutetur, tum rerum omnium cognitione potiatur. Quare graviſſime eos falli putamus, qui aut animam in homine ipſo veluti bipartitam intelligunt, aut duplicem docent *intel-*

(a) *Lib. de quantitate Animae num.* 58. *alias Cap.* 30.
(b) *Lib. de Anima Cap.* 18.
(c) *De induſtria Animal.*

tellectum, ut Peripatetici omnes mordicus tuebantur, aut ideas rerum, quas *innatas* vocant, nonnisi ab ea animae veluti portione hauriri posse contendunt, quae a sensibilium objectorum notionibus, & ab omni materiae vel umbratili schaemate disjuncta penitus est, & segregata.

§ 148. Quamobrem rite mihi videor cum Clariss. Volfio (*a*) posse demum argumentari; qui ut evincat belluas non sentire solum, verum etiam suarum perceptionum conscientia spirituum more teneri, ita disputationem instituit: *Brutis perfectioribus eadem sunt organa sensoria quae hominibus, & constat eorundem eandem esse structuram, quae in organis corporis humani deprehenditur. Nervi quoque eodem modo ex organis sensoriis ad cerebrum propagantur, & cerebrum ejusdem structurae deprehenditur, quam in humano visu distinguere licet. Nullum igitur est dubium, quin sensibilia in organa Brutorum perfectiorum agentia eandem mutationem iisdem inducant, quam hominum organis inducunt, & motus nervis sensoriis impressi eodem modo ad cerebrum propagentur, quo in hominibus propagari solent, ut adeo species impressae, & ideae materiales eaedem esse debeant, quae in hominibus; consequenter dubitandum non est, quin eaedem quoque ipsis respondeant ideae sensuales. Enimvero nobis sunt perceptiones sensibilium clarae, & distinctae. Tales igitur quoque esse debent Brutis perfectioribus. Quoniam itaque perceptiones clarae, atque distinctae ad hoc sufficiunt, ut rerum perceptarum sibi conscia sit anima, quam Bruta quoque*

(a) *Psycholog. rational.* § 751.

que perfectiora sibi rerum perceptarum conscia sint dubitandum non est. Quia vero, ut philosophum decet, mutila Volfii argumentatio expectari nullatenus poterat, non ipse satis proposito consilio feciſſe est arbitratus, nisi, praeter mutationem in organis Brutorum sensoriis factam, consonam quoque ejusdem mechanicae mutationis cum ipsorum Brutorum sensationibus relationem scite constitueret. *Quum enim* (inquit § 754. ibid.) *istiusmodi organa sensoria habeant, qualia sunt hominibus, supra jam collegimus, quod sibi repraesentent sensibilia in organa ista agentia, convenienter mutationibus in his ipsis organis factis. Enimvero lex sensationum haec est, quam animae humanae observare tenentur: si in organo aliquo sensorio ab objecto sensibili quaedam producitur mutatio, in mente eidem inexistit sensatio per illam intelligibili modo explicabilis, seu rationem sufficientem in illa agnoscens, cur jam animae insit, & cur talis sit: Animae igitur Brutorum legem sensationum observant.*

§ 149. Sed ex iis quae dicta sunt hactenus nihil esse videtur amplius, quod aliquem deinceps suspensum, quominus adsentiatur, haerere faciat; belluas nimirum inter ea viventia censeri, quae exterorum objectorum in organa sensoria appulsu sensationes in anima excitari quum experiantur, res ipsas, quarum sunt sensationes, revera, perinde ac homines, percipiunt. Atqui neque sensum eorum perciperent, quae extra seipsas sunt, neque eorundem discrimen agnoscerent ullum, nisi intimum lateret intelligendi principium, ad quod universa per mechanicas vires referrentur; nisi scilicet

earundem anima ſenſorii cujuslibet miniſterio excitaretur, & ab iiſdem veluti totidem nunciis ſenſationi comparandae praeſens fieret. *Intendit ſe anima* ita ad rem Auguſtinus (*a*) *in tactum, & eo calida, frigida, aſpera, lenia, dura, mollia ſentit, atque diſcernit. Deinde innumeras differentias ſaporum, odorum, formarum guſtando, olfaciendo, audiendo, videndoque dijudicat ..... ſed haec omnia poſſe animam etiam in beſtiis, nemo negat.*

§ 150. Haec omnia quidem, ut ingenue fateamur, haud nobis videntur ad arbitrium hocce argumenti genere conficta huc uſque, vel ſolum adumbrata; quamquam fuſiori fortaſſe ſermocinatione potuerint non inconcinne explanari, niſi & lectorem ea pedagogico ſtylo docere voluiſſe videremur, quae vel vulgaribus, ut ita dicam, philoſophis pervia ſunt atque compertiſſima, & aequos Commentariorum noſtrorum fines nimium tranſiliendo violaremus. Sed ad multo majoris roboris argumenta convertamur modo neceſſe eſt, quae cum ſuperioribus arctiſſimo ſunt rationis vinculo conferta, & penitus cohaerentia. Quaerendum ſcilicet eſt, & preſſa argumentatione inveſtigandum cujuſnam indolis ſive ſubſtantiae, ut in philoſophiae ſcholis fertur, illud haberi principium debeat, in quo animantium omnium ſenſationes perceptae tenentur.

§ 151. Quod ut facilius intelligatur axiomatis inſtar habeamus oportet, animale illud intelligendi principium, niſi in turpiſſimo errore verſari velimus, & ingentia in Metaphyſica, quae traduntur monſtra, probare exinde alia cogamur; haud ex eorum fore genere & na-

(a) *Lib. de quantit. Animae Cap.* 33.

& natura, quae materiae concretione conſtant, quemadmodum uſitata illa omnia ſunt corpora, quorum in hoc adſpectabili orbe immenſus eſt numerus. Iam ergo ſi ratione tantum nobis eſt quaeſtio dirimenda, nihil eſſet profecto reliquum modo, quam Brutorum animas ſenſu, nec non intelligentia inſtructas, & ab omni corporeo pondere ſegregatas, eas inquam affirmare edicereque ſpiritales; quomodo de generis humani intima ſubſtantia ubique praedicatur.

§ 152. Iſta nihilominus nimium haberentur jejuna, neque illud praeclarum efficerent pro ſpiritali Brutorum anima argumentum, quod a nobis juxta propoſitum legitimo jure poterat expectari: quare ſic argumentari pergamus. Quae belluarum anima materiae cujuſcumque expers eſſe ſtatuitur, ejus item operationes ulla nequeunt ratione cum corporeis naturis copulari: quippe percipiendi vis corporea aut materialis intelligi prohibetur, quin ipſa pluribus integralibus conſtare partibus itidem intelligatur; ſive quin totidem in illa diſtinctae ſint motiones, quot ad perceptionem efformandam poſtulantur. At quis, niſi veſana mente deceptus hoc ſibi comminiſci unquam poterit? Vel enim quaelibet earum integralium particularum, in quas ponitur vis perceptiva reipſa poſſe ſecari, ſeorſim ab aliis ſumpta, vi percipiendi praedita eſt, vel hac virtute penitus eſt deſtituta. Non primum dicere fas eſt: etenim ſi quaelibet illarum particularum, ſeorſim ab aliis ſumta poſſet percipere, quaelibet ex aequo tota eſſet perceptio: porro niſi percipiens illa particula conſtituatur integralibus carere partibus, inſtauratur iterum argu-

gumentum, & ad infinitum, ut ajunt, usque producitur. Non deinde secundum dici valet: si namque nulla illarum partium, divisione posita, vi percipiendi pollet, tota quoque substantia ex illis conflata, eadem vi penitus careat necesse est; quum ab inertibus, ex veteri philosophorum adagio atque experientia teste, fieri nequeat totum integrale vi activa donatum.

§ 153. Haec, nisi fallamur, quod tamen impossibile existimamus, adeo sunt presse acriterque prolata, adeoque etiam Brutorum causae juxta praeconceptum scopum accommodata, ut, nisi dementes homines aut stupidi, nulli sint futuri, qui tam apertae demonstrationi velint immerito repugnare. Spiritalis est igitur belluarum anima; neque nos ab hac demum ferenda propugnandaque sententia deterret, quod aliqui adhuc sint reliqui, qui eidem pravo potius partium suarum affectu, quam veritatis instinctu contradicant. Etenim ut nulla foeditas sine amatore, quod vetere proverbio docemur, ita nullus error sine probatore fuit, quem saepe sophismatibus atque clamoribus omnino futilibus multi commendarint.

§ 154. Spiritalis inquam, neque ex eorum genere sive fluidorum, sive solidorum corporum, quorum proprietates a philosophis ad discreta quaedam capita plane redactae ita materiae naturam contemplantibus offerunt, ut si iisdem carere res quaelibet menti rite cogitanti obversetur, quae suimet indole tum aliquid esse, tum per se se operari inveniatur, continuo haec disparis plusquam intelligi valeat naturae esse decernatur; ac propterea spiritus nomine eam appellant qui-

cum-

cumque neque rem adhuc neque nomen, materiam inter & ſpiritum, medium ſcire noverunt.

§ 155. Sed haec omnia fuſius hiſce in Commentariis perſequi non debemus, ne ſuo priventur jure & commendatione qui hominum animos non tam ſpiritales, quàm aevo ſempiterno duraturos invictiſſime demonſtrant ex inſtituto noſtrorum & ſuperiorum temporum Metaphyſici Scriptores. Iam vero ſi materiae cujuslibet proprietates; ſcilicet extenſionem, diviſibilitatem, inertiae vim, motum, figuram; cum mentis humanae viribus, affectionibus & officiis ſcite iſti comparant, atque inde licet invitos ac reluctantes homines eo pertrahere conantur, ut materiam neque aliquid agere ſuapte natura poſſe, neque cogitare fateantur, ſed ſpiritum in homine exiſtere, qui motu cieatur ſuo, nulla profecto ratio prohibet, quin aſſentiri debeamus, vividum animantium principium nonniſi actuoſum eſſe ſpiritum, omniumque ſenſationum & operationum moderatorem; eadem quippe utrobique paria momenta hoc ipſum unicuique ratione non abutenti ita ſuadere videntur, ut repudiari ullo pacto ſine maxima ſapientum reprehenſione non poſſit.

§. 156. Sed antequam hujuſce capitis vela contrahantur omittere certe non debemus ſine magna vel inſcitiae vel negligentiae nota eorum explanationem, quae morborum atque everſarum ſenſationum haberi ſolent in animantibus cauſſae, quorum ſuperius ut in duo ſuprema genera partiendas fore innuimus, ita mentionem fuſiori ſtylo habituros conceptis verbis fuimus ibidem polliciti. Primum de *nonnaturalibus* eorum principiis,

de *praeternaturalibus* agemus deinde, atque omnem demum hujuſce Capitis argumentationem abſolvendam ſatagemus.

§ 157. Quod primum ſpectat ſcribendi propoſitum dubitare profectò abſque rationis injuria non poſſumus, vehementiores potiſſimum affectus ſive pathemata ita in organica viventium corpora perniciſſimo ferri motu, ut illa aut nimium aequo conſtringant, aut dire convellant, aut etiam a ſuis functionibus perturbent. Ab iis animi curis exempla primo petamus oportet, quibus ut fidem luculentiſſime conciliemus neceſſum fore haudquaquam arbitror Recentiorum teſtimonia (ut fieri a nonnullis aliquando adſolet) congerere multa: vel ipſa ſiquidem diurna in ſingulis ferme hominibus nocturnaque experientia, & magni inſuper Galeni doctrina de dicendorum veritate ſatis ſuperque definit (*a*). Quae vaſa & fibrillas a nativo eorum diametro pathemata conſtantiſſimis naturae legibus coarctant, timores, & meſtitiae ſunt, aliaque hiſce analoga, quae paſſim anxietates appellantur. Contemplari facile eos valemus, quos curae illae divexent: horum nempe corpus mirum in modum extenuant, perpetuiſque vigiliis conficiunt. Viribus ita confractis ciborum nullus appetitus accedit, & macies toto corpore patens: quae ut immutata ſenſationis atque irritabilitatis principia decernunt, ita gravioribus etiam morbis aditum parant. Etenim febres perſaepe accendunt, nativum calorem extinguunt, & melancholiam ſolent augere, quae quo diuturnior dominabitur eo plus peri-

(a) *Aphoriſm. Lib. II. Com.* 28. *& Lib. III. Com.* 31. *& de tuenda ſanit. Cap. II.*

periculi afferet atque incommodi. Tantus demum membrorum supervenit languor & macies, ut ipsa paulatim extabescant; quibus nisi tempestive consulatur, animal ab omni recuperandae sanitatis spe sejungi, eodem Galeno (*a*) suffragante, debeat: scilicet, affecti ea ratione, & lacessiti quandiu novis in dies morborum incrementis satisfant, biliosa quaedam humoris copia in ventriculum defluere consuevit, quae sane molestiam patienti affert adeo injucundam tamque pertinacem, ut non prius a maestitia & cruciatu cesset, quam supervacanea illuvies illa vomitu fuerit ejecta. Horum affectuum perdurante vehementia artus universaque pene corporis membra contrahuntur & rigent, pullus tum arteriarum tum cordis minimi ac maxime imbecilli sunt, tremor supervenit, vox interrumpitur, & vires denique convelluntur omnes. Quamobrem ob timorem, ingentemque moestitiam nonnulli repentina morte interierunt, quod nimirum imbecilla suapte natura animula multorum simul symptomatum sub valido affectu oppressa, confertim extincta & suffocata fuerit; quemadmodum luculenter docet Galenus (*b*): quorum etiam id genus eventuum insignia reperiri poterunt apud Plinium (*c*) & Stephanum Athenienſem (*d*) exempla. Universa haec & singula, quae obiter attigimus, incommoda absque inversae animalis aeconomiae discrimine

(a) *Aphorism. Lib. VI. Comment.* 50.
(b) *De Causis symptom. Lib. II. Cap. V.*
(c) *Natural. Historiae Lib.* 7. *Cap.* 36.
(d) *Lib. I. ad Glauconem Comment.* 12.

contingere ſane non debent; quae item cum ſyſtematis totius nervoſi immutatione ſive perverſitate fieri quum ſoleant, ordo proinde ſenſationum totus in unoquoque animali confundatur neceſſe eſt, quamprimum commemorata pathemata vigeant. Etſi vero ab iis diſpares machinae animalis perturbationes contingant quum vehemens ira fervet, quantum nihilominus ſenſus inordinatam pertinet conſtitutionem, eadem utrobique ratio propoſito ſuffragatur noſtro: quippe effaerata iracundia, quae brevis etiam furor appellari paſſim ſolet, caloris ſui pernicitate è corde in extremas omnes corporis partes ſanguinem diffundat, atque inteſtino motu rarefaciat, quemadmodum praeclare docet Galenus (*a*); inde corpus immodice incipit inflammari, & exſiccari; a quo praeterea fervore febres ſuccenduntur ardentiores in iis potiſſimum hominibus, qui ſemel in ſeipſis conceptum ignem diu continere natura ſolent, aut praehujuſmodi furoris vehementia attoniti ferme ac etiam extra ſe poſiti eſſe videntur.

§ 158. Itaque diſſimulare aut inficiari niſi peſſime quum nequeamus, Bruta affectibus haudquaquam deſtitui poſſe (quomodo capite Commentariorum noſtrorum Tertio ubique elucubravimus) qui ab hominum affectibus aut nihil plane, aut parum differant reipſa, quemadmodum pro eorundem varietate ſenſationes illicrum diſcrepant; quas inſuper patefaciunt ſignis admodum conſpicuis; ita eorum principia diſparis eſſe naturae dicamus oportet. Perturbari autem atque immutari ani-

(a) *De different. Febr. Lib. I. Cap.* 4., *& in Lib. de cauſſis morbor. Cap.* 2.

animantium fibras, pro fluidorum irritantium & convellentium discrepantia, non tantum apud omnes medicae artis cultores est in comperto, verum etiam nonnullis animadversionibus superius (§. 132. §. 133. §. 134.) aperuimus: nihil ergo reliquum supereſt unicuique philosopho, quin in belluis quoque germanum, ut in hominibus reipsa viget, sensum fateamur. Atque haec brevi stylo ad primum nonnaturale principium suadendum scripta satis esse dicamus: nunc alia deinceps eadem brevitate persequamur.

§ 159. Aeris ratio; quo homines & belluae simul, quae aquis innatantes non sunt, aluntur & vivunt; morbosis everſarum sensationum causſis adcenseri perinde debet. Illius ut pro sanitate tuenda, ita etiam pro multiplici morborum genere parando operosa & ferax est virtus. Attamen nullam esse animantibus perniciosiorem atmosphaeram, omnium Medicorum suffragante testimonio, dubio procul existimamus, ingratisque sensationibus procreandis aptiorem, quam quae humida, aut contra calorifica nimium vulgo appellatur. Quo utrique aeris rationi exemplis aliquot respondeamus, neve supervacanea hic opera universarum regionum, juxta uberem ejusdem varietatem, instituamus historiam, ab aere tantum Romano petendum erit ad rem nostram argumentum. Ejus dilucidam exhibet narrationem celeberrimus Georgius Baglivius (*a*), cujus etiam verba haud importuna fore arbitramur. *Aer Romanus, septem Collibus Orbis Dominis hodie intercluſis, natura humidus est, & gravis: experimento namque constat, quod si quis pau-*

(a) *Praxeos Medicae Lib. I. Cap. XV.* §. 3.

paulo longius a frequentia tectorum processerit, quandam caeli gravitatem atque intemperiem manifesto concipiet. Salibus vitriolicis, & aluminosis potissimum abundat; ut ex plantis, quae in eodem vegetant, mineris aluminis & vitrioli, & aquis solum Romanum irrigantibus deducimus. Insaluberrimis Austri, Africi, atque Euronoti flatibus obnoxius. Ab aestivis caloribus interdum tantopere exardescit, ut mirum non videatur, si, Coss. Lucio Valerio Potito & Marco Manlio, pestilentia orta sit in agro Romano, ob siccitates & nimios solis calores, teste Livio Lib. V. His aliisque de caussis infra dicendis, incolae Urbis temperamento praediti sunt melancholico, subfusco & nonnulli subpallido cutis colore, habitu corporis macilento potius quam pingui. Levi de caussa capite afficiuntur, & iis morbis potissimum subjacent, quos aeris gravitas solet producere; sicuti sunt pulmonis vitia, febres malignae, cachexiae, pallores vultus, incubus, tabes, & consimiles. Porro aer Romanus squallidus quoque est, & insalubris, non quidem omnibus in locis, sed iis potissimum, quae deficientibus aedificiis pigro atque immoto aere sordescunt: multo magis si Tyberi adhaerent, vel, vallium instar, montibus obsepiuntur, aut exhalationibus subjacent, quas veteres parietinae cryptae, & antiquorum aedificiorum rudera emittunt. Ex quo patet Regionem Circi Maximi inter Palatinum atque Aventinum sitam, omnemque illum campum, qui inter Aventinum ac Tyberim, Portamque Ostiensem jacet, plane noxiam esse, & damnabilem. Haec diserte Vir ille insignis de aeris Romani effectibus in me-

medium affert, cujus deinde cauſſam longius repetere nititur paulo inferius (*a*). Inde vero colligitur, iiſdem aut ſimilibus obnoxia fieri viventia quaeque animantia, quae infecto aliorum Orbis locorum caelo inſpirando exſpirandoque nutriuntur. Haec inpraeſens, quantum ad aeris perniciem attinet, attigiſſe ſufficiat; nunc reliqua *nonnaturalia* malorum initia feſtinare debemus, quibus demum ſuprema conſequatur argumentatio ex ſingulis theorematibus abſolvenda.

§ 160. Cum caeteris id genus morborum cauſſis copulari jure debet magna illa plus aequo ſanguinis humorumque circulantium copia, a qua premuntur ſaepe animantium vaſa, violenterque cum moleſtia diſtenduntur. Is nimirum perpetuus eſt naturae conatus, ne viventibus liquidorum circumgyrantium deſit aliquid, neve contra iiſdem ipſa vaſcula cum exceſſu ut ajunt inferciantur. *Quantitas liquorum* (ita fidem facit praecliriſſimus Auctor Baglivius (*b*) paulo ante laudatus) *determinata eſt in quolibet temperamento; debet enim eſſe proportionata, & aequilibrata cum corde impellente, & cum partibus per quas pellitur: ſi excedat, vel deficiat, ſtatim mutatio naſcitur in oeconomia animali. Hac de cauſſa quando excedit, ac proinde ſolidorum ſuperat reſiſtentiam; uti ſuccedit in ſuccipletis, & ſanguineis; natura per haemorrhoidas, vel per narium haemorrhagiam eandem minuit.* At pletoricis hujuſmodi non ſemper natura ipſa opitulatur, neque propterea quod ſupervacaneum in corpore animali circuit

(a) *Ibidem §. IV.*

(b) *De Fibra Motrice Lib. I. Propoſ. I.*

cuit, ac noxium est foras prodeundi facilem sibi aditum parat; quinimo, si impedimentum intercedat aliquod, quominus quae in temperamento superfluunt valeant natura adjuvante exonerari, pessima consequuntur incommoda, ut, ipso Baglivio teste (*a*), ab unoquoque experientia comperiuntur. *Juvenes nimium sanguinei* (ita animadvertit), *nisi haemorrhagiis in juventute subleventur, corripiuntur febribus, fistulis ani, pectoris inflammationibus, & mille id genus, nec non sputo sanguinis; quibus viis redundans a nutritione sanguis exoneratur: qui idem sanguis, quoniam in pueris in nutritionem impenditur, dictis malis non subjacent.* Quamobrem non ipse solum cavendum esse docet, ne quo natura velit prohibeatur effluere, verum etiam sinendam liberrime, neque a caepto fluxu supprimendam quoquomodo, Medici universi (*b*) commendant. *Infinita apud Auctores funesta legimus exempla intempestive suppressi in aliqua parte morbosi sanguinis, vel alterius liquoris. Nam quum pleno alveo per ea feratur loca, & jam solutus sit a compage reliqui sanguinis boni, necesse est ut effluat quà primum caepit fluere; aliter, retrocedendo interiora versus, vim facit incredibilem. Sic Iuveni prope Collegium Matthaeum in Quirinalis radice, ubi sunt Viridaria Pontificis, haemor-*

(a) *Ibidem.*

(b) *Vide inter reliquos plures Victorem Faventinum Pract. Mag. Tract. II. Cap.* 15., *Galenum Lib. III. de hum. commend. ad Text.* 26. *Cornelium Celsum Lib. I. cap.* 3., *Prosperum Calenum Lib. de atra bile, ac Rodericum Fonsecam Tom. II. Consult. cons.* 85.

morrhagia laboranti, suppresso sanguine per cucurbitulas spleni applicatas, ibidem sequuta est inflammatio. Viro prope Collegium Urbanum de Propaganda Fide in Foro Hispanico ad radices Pinci, suppressa haemorrhoidum evacuatione, sequuta est apoplexia laethalis. Mictus sanguinis periodicus, ac menstruus incaute suppressus laethalis fuit ex Salmuth. Hist. 47. Cent. 3. *prout videre est apud* Etmullerum Tom. I. Prax. Fol. 309. *ubi plura hujus generis recensentur exempla. Ulcera imprudenter clausa, mille mala pernicioſa pariunt. Hinc saepe succedit, quod fluidum licet excrementitium, si per vias sibi proprias evacuari non potest, locum sibi faciat per vicinas. Ob id Monialis Pontavina per sex menses ischuria laborans vixit commode, quia quotidie sudabat in abdomine, teste* Etmullero Tom. I. Prax. fol. 314. Hactenus scriptor egregius & quidem apposita oratione adscifcendus (*a*).

§ 161. Ad idem morborum ingratarumque sensationum principium facillima fermocinatione refertur cohibita Venus, quae vel voluntario caelibatu, vel testium amputatione turgescit. Neminem eorum latere debet philosophorum, qui sunt in Anatomiae ac Zootomiae scientia aliquantisper versati quam dira dominentur in iis animantibus symptomata, qui vel deliberatione Veneris cursum compescere velint, vel naturae necessitati ob evirationem debeant subjacere. Istis videlicet contingere solet; Oribasio (*b*), Arculano (*c*), Hie-

(a) *De Fibra Motrice Lib. I. Prop. II.*
(b) *Medic. Collect. lib. VI. cap.* 37.
(c) *In Lib. IX. Rhasis cap. VI.*

Hieronymo Mercuriali (*a*), Ludovico Mercato (*b*), Roderico a Caſtro (*c*), aliiſque Veteribus Teſtibus caeteroquin fide atque obſervantia digniſſimis; ut quamprimum ad pubertatis annos pervenerint, & definita quaedam virium momenta fuerint ea vitae aetate conſequuti, a reliquis peculiare infra ſpermatica vaſa decurrens fluidum ſecernatur; quod ut generationi peragendae a natura eſt potiſſimum inſtitutum, ita irritatione ſua fibras corporis convellit, eaſve conſtanti lege vehementiſſimis ſtimulis pungit, ſi, eodem compreſſo, aut in caeterorum fluidorum circuitum tranſire, aut forte, quod deterius eſſet, ſtagnans illud fieri adigatur. Luctuoſa nimium exempla id genus ab experientia non deſunt plurima, quibus item ea ſubiiciantur, quae tum laudati nuper tradunt ſcriptores, tum Daniel Sennertus (*d*) pluribus exhibet luculenter.

§ 162. Alterum non minus grave ſpectare merito poſſumus in animalibus quibuſque pro vario eorundem genere perturbatae ſoſpitatis exordium; alimentorum ſcilicet omnigena natura, quibus ad vitam tuendam atque ad animalem aeconomiam in recto officio continendam abuti illa non deberent, niſi in deterius amittendae ſalutis vellent adduci diſcrimen. Quamquam vero exiſtant plura, quae perdendis potius quam alendis animantibus ſint conſentanea, (in quo quidem exploratiſſimo ve-

(a) *De Melancholia Cap. ſingulari.*

(b) *De Mulierum affectionib. Lib. II. cap.* 4.

(c) *De morbis mulier. Lib. II. cap.* 3.

(d) *De Melancholia Virginum, Monial. & Viduarum Lib. I. Part. II. cap.* 13.

veluti axiomate univerſi conſpirent) huc tamen illacque abire videntur permulti, quum de ſpecifica, ut ajunt, ciborum pravitate ſtatuenda res eſt, & diſputatio. Aliquorum tantum inter ſe diſcrepantium opiniones propterea attingam, quo Scriptorum hocce in negocio diſcordia detegatur. Quod lacuum fluviorumque piſces attinet, Franciſcus Bonſuetus (*a*) eos velut ad aequam animalis ſucci elaborationem admodum noxios ſtudio & viribus reprobat omnibus; contra autem Paulus Jovius ille percelebris rerum Italicarum Hiſtoriographus ab ea exitiali univerſitate lampretas putat excipiendas, quas mirum in modum commendat, eorumque inſuper queritur, quos iiſdem tanquam perniciosis noverit adverſari (*b*). Celeberrimus Dom. Johannes Blanchius Ariminenſis (ob cujus nuperrimum interitum, quo nunc tempore haſce elucubrationes abſolvimus, ardentiores exoriuntur controverſiae, neque tamen altiorum litterarum cultoribus prorſus indignae) non lacuſtres ſolum piſces, verum etiam marinos promovendae hominum incolumitati exiſtimat conſentaneos; eoſque praeterea ſuis quibuſdam permotus argumentis terreſtrium Brutorum carnibus praehabendos eſſe arbitratur (*c*): hiſce autem Ariminenſis Philoſophi placitis quod modo objiceret jamdiu protulerat Gomeſius (*d*) qui marinos fluviatilibus ad rectam animalium functionum methodum antiſtare ſanciverat. Par, aut diſſimile parum nobis occurrit celebrio-

(a) *Lib. de Aquatilibus.*
(b) *De Piſcibus Fluvialib. cap.* 34.
(c) *Diſcorſo del Vitto Pittagor.*
(d) *De Sale Lib. I. cap.* 22.

briorum etiam Scriptorum inter se dissidium, quum de herbarum, pomorum, aliorumque id genus vegetabilium, ut inquiunt, ratione differere aggrediuntur. Aequo longior hic esset tamen singulorum invicem contradicentium hac super re historia, si tantundem hic scribere, ut paulo ante, vellemus. Inter eos, qui vegetabilium quorundam victum tanquam ordinatae animantium constitutioni adversum, adspernantur & damnant, Galenus unus nobis esse valet, qui multa arborum germina, Brassicas, Legumina, aliosque fructus hortenses propterea vituperare legitur, quod in eos haec omnia nutritios succos secerni plerumque soleant, qui aequabilibus sensuum operationibus haudquaquam cohaerent (*a*). Ipse quoque magni nobis momenti Auctor & testis est ut credamus (ut ad aliud alimenti genus oratione transgrediamur) carnem quadrupedum quorundam, & potissimum bubulam ob perdifficilem eorum digestionem nonnisi melancholiae aliisque morbis ingenerandis idoneam inveniri (*b*). At quid haec cum Brutorum prava sanitate consertum habent atque commune? Magnum tamen, ut putamus, ex hisce omnibus, quae hactenus praehabenda esse curavimus, argumentationi nostrae praesidium peti posse constabit; quam idcirco in Capitis hujusce calcem consulto conjectam nemo sapiens jure poterit parvipendere. Antequam vero eidem absolvendae consulamus alterum ex *nonnaturalibus* Caput enucleare tantisper studeamus.

§ 163. Prae-

(a) *De locis affect. Lib. III. cap. 7.*
(b) *De Alimentor. Facult. Lib. III. cap. II.*

§ 163. Praetermiſſis itaque ſilentio caeteris, quae ſupereſſent adhuc aperienda, animalis inconſtantiae capitibus ad *nonnaturalia* perinde pertinentibus, poſtremum adeamus, quod in ciborum exceſſu ſitum tradunt. Nihil eſt profecto, quod homini & Brutis exitio magis eſſe valeat, quam ſi a perdendis hac de cauſſa aut minuendis naturalium ſenſationum viribus non ſedulo caveatur. Nemine quippe Medicorum diffitente comperta jam ſatis experientia eſt, multo plures extitiſſe a conditis hominibus uſque adhuc, quos crapula atque effraenis cibi potuſque ingluvies praecoci interitu abſtulerit, quam qui fuerint a multis ſaeculis, jure ne an injuria, aliena vi aut armis interfecti. Propterea Plinius animadvertere docet, & ſcite admodum ipſe retur, pleroſque generis humani morbos non tam ab uniformi eſculentorum copia, quam ab ipſorum varia & multiplici natura in ventrem ſimul ingeſta erui legitime potuiſſe. Ab eſculentorum diverſi generis intemperantia ortum ducere exiſtimavit Fernelius (*a*) cur tot inſperatae apoplexiae contigerint, cur tot perinde praematurae ſenectutis incommoda jamdiu fuerint inter homines multiplicata. Appoſite cenſuit proinde Cornel. Celſus (*b*), multo majus iis obvenire contra ſanitatis aeconomiam certiuſque detrimentum a calore, a frigore, a laboribus, aliiſque vitae humanae ponderibus, qui in omne ſunt crapulatum genus effuſi, quam quibus menſa frugalis eſt & caſtigata ingluvies. Conſula-

tur

(a) *Pathemat. Lib. I. cap.* 14.
(b) *Lib. I. cap.* 2. *De Medicin.*

tur propterea Santorius (*a*) unde manifeſto dignoſcatur quid boni a ſobrietatis methodo pendeat & quantum animantibus ex adverſo officere valeat aepulis inferciri. Atque pauca haec veluti delibata propoſito ſatis eſſe noſtro aequus lector non invito animo ferat: tametſi & ſingula quae brevi calamo protulimus uberius ſcribi potuiſſent, & alia non inutilia *nonnaturalium* principia pari ſtylo compleri. Utrumque nihilominus vi quodammodo coacti ſilentio praeterimus, atque ad *praeternaturalia* convertimur.

§ 164. Itaque morbi animantium, atque ſymptomata, quae aliunde fluere dicuntur, quam ex *adiaphoris* principiis hactenus enucleatis, ea ſingula eſſe decerni ſolent, quae ab animalium functionum laeſione, abolitione, imminutione, atque depravatione potiſſimum pendent. Atque haec vel inde ſolum cuique poſſunt ſatis praeclare oſtendere quot quibuſque malis eorumque ſucceſſionibus quodcumque animal pateat, quamprimum inteſtina hujuſmodi vitia dominentur. Hiſce accedunt praeterea eorum laeſiones, quae in animali corpore aut retinenda ſunt, aut contra excernenda; ſi nimirum utraque quantitate, qualitate, loco aut tempore peccent. Porro a depravatis id genus veluti fontibus pene impoſſibile dictu eſt quantopere faeviant incommoda animantibus ingratiſſima, quae omnem aut pene omnem ſenſationis atque irritabilitatis ſtatum ordinemque pervertant, eaſque in anima efficiant perceptiones, quae toto, ut ajunt, genere ab aliis diſcrepare ſentiuntur, quae aequabili, ut par eſſet, ſanitati conſentaneae cenſentur; que-

(a) *Static. Medic.* 12. 52. 88.

quemadmodum animadverti exinde poterit. Horum non pauca ſenſibus etiam apertiſſimis perſpici diſcernique valent, quum nempe vel viſu icterum, chloroſim, guttam roſaceam, eryſſipelas, tumores; vel auditu raucedinem, ſtertorem, ſingultum, ructus, murmura, flatus, aut crepitus; vel olfactu ſudores, urinae, oris, ulceris foetores; vel caeterorum ſenſoriorum ope alia multa aegri corporis argumenta iis ſimilia comperimus. Haec tamen hactenus patefacta uberiori ſermone, atque ex profeſſo, ut inquiunt, ea complectitur peculiaris Medicinae pars, quae Pathologia nuncupatur, a qua nihilominus ampliora eruere modo prohibiti ſumus, ne magis, quam fas eſt a potiſſimo ſcribendi ſcopo digrederemur.

§ 165. Ab utroque ergo malorum fonte profecta haberi merito poterunt quaecumque in poſterum in Brutis permultis detegenda nobis erunt deperditae, aut infirmatae incolumitatis argumenta: quae tamen ita perſequemur, ut indiſcriminatim ab uno in aliud ſimus tranſgreſſuri. Etſi vero inter *praeternaturalia* morborum mortiſque principia Venena etiam ſoleant computari, ea nihilominus ad rem noſtram hic parvipendere idcirco voluimus, quod non omnibus animantium generibus noxia ſint atque mortifera, & quae eorum uni naecem afferunt, alteri ſint medicamini aut alimento. Amigdalae amarae (ut rem exemplis illuſtremus) ſi non proſint univerſis, nulli ſimul nocere plerumque ſolent: eae tamen volucribus Canarienſibus ſubitum gignunt interitum, juxta Durrii animadverſiones (*a*), ſi illis aliquan-

(a) *In Ephemer. Academiae Naturae Curioſor. Decad. II. An. I. Obſervat.* 156.

quando vescantur: Ipsa item semina intestinorum vermes quam cito interficere testantur Eruditorum Lipsiens. Acta (*a*). Verum haec minoris sunt pretii, neque proinde a potiori orationis scopo digrediamur.

§ 166. Volatilium itaque mox facta a nobis obiter mentio sermonem pro re nata quodammodo compellit, ut ab Accipitrum morbis exordiamur. In hisce quidem multiplices sunt adversae sanitatis conflictus quos singillatim describunt, praeter alios Veteres Scriptores, Petrus Crescentiensis (*b*), & Plinius (*c*). Deterior vero omnium morbus, quo male animantia quaeque affligi valeant, febris nempe, Accipitrem haud raro aggreditur; a qua tametsi flagrantissima ipsum plerumque ejus venae sectione, quae sub ala dextera latitat, convalescere faciunt, quotquot id genus avibus curandis peculiarem navant operam, ac venationis sunt cupidissimi.

§ 167. Quemadmodum Accipitres, ita & Falcones, qui de avium rapacium perinde sunt genere alkalescentium humorum vi febres saepe sepius corripiunt, quibus ad aegrotantium statum cum vitae discrimine perducuntur. Etenim qui prius bene valentes, alacres in sublime attollebantur, praedamque unguibus effaerati atque exultantes coarctabant, omnem deinde sanitatis speciem dimittunt, quamprimum vel minus certa febrilis impetus indicia antefeiri videantur. Comperiri autem possunt evidentissima ejus argumenta, si animal tremere, alasque relinquere pendulas, & caput deorsum

(a) *Tom. XV. pag. 409. An. 1720.*
(b) *Lib. X. cap. 6.*
(c) *Histor. Lib. XIX. cap. 7.*

ſum languens ferre incipiat. Plumae praeterea tenues illae, quae ſub mentum deſinunt, barbae inſtar, contorqueri ſolent, atque eo plerumque tempore ut cibum reſpuere conſpiciuntur, ita etiam calentes admodum perſentiri valent, ſi cujuſpiam manibus per omnem corporis ſuperficiem attrectentur. Alia item recenſentur mala, quibus Falcones ipſi identidem laborant; ut apoſthemata, vertigines, tumores, oculorum ſuffuſiones, aſthmata, ventriculi vitia, podagra; quibus etiam accedunt plura, quae fuſe haberi in cenſu ab iis ſolent, quorum eſt accuratum ſanandis Brutorum vitiis ſtudium, atque ingenium.

§ 168. Ne vero cunctos ſingillatim ſub diſtinctis capitibus Avium quorumcumque languores perſequamur brevitati noſtrae accommodatius fore exiſtimamus excerpere multa, atque in unum veluti ſinum colligere; quae ad diverſa volucrium genera pertinere ſcripſerunt Veteres, & noſtri etiam de ſingulorum Brutorum aegritudinibus Tractatores. Pavonem cumprimis, qui ad gallinaceum genus vulgo refertur, iiſdem ferme omnibus obnoxium eſſe vitiis, quibus caeteri Gallinarum pulli laborant, affirmat ab experimentis Columella (*a*): horum autem vitiorum cognitionem aſſequi liquido poterunt lectores, ſi deinceps ſcribendis mentem vel hilum admovere voluerint. Phaſiani itaque commune cum pluribus ejuſdem generis ferre coguntur incommodum, pituitarium nempe, ut ajunt, humorem, quomodo latius conſtare poſſe videbimus. Quemadmodum eas Aves male ſe habere, ita remediis quibuſdam convaleſcere poſ-

(a) *Lib. I. De re ruſtica cap.* 28.

se testis est Palladius (*a*), quem neminem hisce eriam in rebus adspernari debere praeclara suadet auctoritas. Coturnices epilepsia saepe prosterni ac divexari praeterea norunt omnes, qui eas vel volitantes viderit aliquando. Fraequenti diri hujusce in eadem synptomatis experientiae accedit Galeni laudatissimum testimonium (*b*); qui illius causam quoque proferre conatur, quum epilepticam vim Veratro sive Helleboro accepto refert, cujus passim Coturnices sunt avidissimae. Ut vero alia hujusmodi de volucribus dicere prosequamur praetermitti Gallorum Gallinarumque vitia singula debent, quae non pauci Scriptores litteris commendant suis; potissimum vero quae tantopere noxia appellatur pituitae copia, cujus medicamen perspicue exhibet celebris ille de Arretina Natione Andreas Caesalpinus (*c*): quare Columbarum mala persequi non tam brevi calamo praestabit. Harum maximum varioli appellantur, quos sedulus Petrus Crescentiensis circa oculos ex oriri tradit (*d*) mense praesertim Augusti. Si Herodoto fides esset adhibenda lepra insuper inter Columbarum morbos enumerari deberet; atque idcirco Persarum legem quandam, & bellum aeternum hisce avibus, maxime albis, indictum consignat memoriae, quod hujusmodi lue infici illae quandoque possent (*e*). Hoc ipsum tamen

(a) *Lib. I. De re rustica cap.* 29.

(b) *In Com. Lib. VI. Hippocr. De Morb. Comitial. Tex.* 36.

(c) *Lib. III. De Plantis cap.* 13.

(d) *Lib. IX. cap.* 90.

(e) *In Elio: Lib. I.*

men pro commentitio habere propterea debemus, quod nonnisi ab eodem Scriptore traditum legamus, neque item experientia doceat Columbas reipsa leprosas, aliove simili purulento vitio maculatas. Quod aves attinet canoras, quae in caveis domesticis voluptatis ergo solent enutriri, tametsi varia illae patiantur incommoda, comitiali tamen morbo fraequentius corripi videntur. Cardueles, Luscinіae, Passeres Canarienses, & aliae hujusce generis eidem subjacere malo, una experientia satis superque docet, quin Scriptorum suffragia inquiramus. Corvi item, Plinio referente (*a*) ab aestivo tempore in autumnum morbo conflictari cernuntur, alvi scilicet profluvio: Cornices scabie & lepra male haberi identidem tradit Porphirius (*b*); quorum praeterea morborum causam tum maxime operari, & mortem etiam iisdem parare diserte enarrat Aelianus (*c*), quum illae carnibus vescantur, quas lupi ore attigerint aliquando, ac suo infecerint halitu, sive saliva. Gracculi tandem, & Accipitres (ut volatilium aegrotantium historiam abscindamus brevitati prospecturi) morbo epileptico frequenter prosternuntur, quemadmodum Jacobus Dalechampius (*d*) gravissimus Auctor est; eodemque capi idcirco utraeque Aves illae creduntur, quod veluti extinctae ex arborum tectorumque culminibus in terram praecipites ruere passim videantur. Sed antequam quadrupedum aliquorum aegritudines paucis tradamus ne-

 cesse

(a) *Lib. XXIX. cap.* 3.
(b) *Libro de abstinendo ab animalib.*
(c) *Lib. VIII. de animalib. cap.* 46.
(d) *Comm. in Plin. Lib. III. cap.* 22.

ceſſe fore rebuſque pertractandis opportunum exiſtimamus tantiſper ex dictis ſermocinari, qua interim ad extremum diſputationis propoſitae ſcopum facilior aditus pateat.

§ 169. Univerſa itaque animalium vitiorum, & multiplex origo, quibus ſatis pro noſtra brevitate feciſſe ſuperius rati certo fuimus (§ 157. § 159. § 160. § 161. § 162. § 163. § 164.), ſi rem penitius contemplemur, adverſus ſanitatis integrae conditionem ideo agunt, ferofque morbos in animantium corporibus efficiunt, quod vel fluida ſint per ſe ſe, vel in liquida chyloſis ope convertantur, quae acribus, ſalinis, bilioſis, vitriolicis, atque aluminoſis particulis ſive moleculis nimium abundent, quae nativa figura in membris viventium ſolida pleraque exſtimulent, dividant, atque erodant; aut alia efficiant praeterea, quae animae torquendae ſolum aptiſſimae ſunt dum organizatae machinae partes varia ratione immutantur, earumque fibrillae & vaſcula quaeque tenuiſſima percelluntur.

§ 170 Attamen nihil melius aut conducibilius rei propoſitae perſpicuitati fore autumamus, quam ſi ex celeberrimi Philoſophi Caroli Bonneti *de Corporibus Organizatis* meditationibus nonnulla delibemus, quae ut corpora quaeque organis inſtructa, ita etiam omnes animantium machinae quomodo rite enutriantur & incrementum capiant digito veluti monſtrant. Ipſe cumprimis quantum ingenioſa, tantundem veroſimilitori philoſophandi ratione univerſa augeri animantium corpora, & ad aequam uſque magnitudinem viriumque reparationem pertingere ſpirituum, ſulphurum, ſalium, necnon

aquae

aquae & terrae ſubſidio ab eodem Clariſſ. Viro concipiuntur (*a*). Horum porro elementorum temperata mixtione ſucci illi elaborantur nutritii, quibus tota animalium ſoſpitas continetur; contra vero ſanitas laedatur oportet quam maxime, ſi humores, quibus Bruta & homines in valida incolumitate ſervantur, etherogeneis virulentiſque moleculis inficiantur. Quum itaque Corporum organizatorum fibrillae arctae primum conſtrictae, & retis inſtar involutae ſuis interſtitiis paulatim a ſaluberrimo nutritio ſucco occupantur, non tam incrementum, verum etiam jucundam animantibus praebent ſenſationem (*b*). Atomi praeterea, ipſius magni Viri judicio, quae ex benefica ſpirituum, ſulphurum, ſalium, aquae & terrae natura conflantur, tribus fluiditate ſua compoſitorum generibus praebent alimentum, fluidis nimirum & ſolidis iis, quae vocat inorganica, ac ſolidis tantum organicis (*c*). Atomi quoque, quae fluidorum ope ſolidis organicis vigorem parant & incrementum, tum a ſpecifica earum figura, magnitudine, & qualitate dependent, tum a varia Corporum organicorum cenſeri debent textura, cur quae evolvuntur in viventibus partes ab eorum priſtina exiguitate ad nativam magnitudinem demum perveniant, & ſanitatem eo magis amplificent (*d*). Scilicet non in ſingulis animantium Corporibus eadem reperitur fibrarum textura; quippe alia reticularibus ſunt inſtructa fibrillis, quae latiores ſunt;

(a) *Ibidem Cap. II. §§* 3. 4. 10.
(b) *Ibidem §* 13.
(c) *Ibidem §* 83.
(d) *Ibidem §* 84.

ſunt; contra nonnulla exiſtunt, quae anguſtiorem praebent ſucco nutritio tranſitum: non eadem eſt in omnibus inſuper ſpirituum, ſulphurum, ſalium, aquae, & terrae figura, quae fibrillis, ut evolutio recta compleatur, recte cohaereat. Tanta itaque nutritii ſucci varietas ita per organica ſolida circulationem abſolvit, ut pro varia eorum textura, & reticularium fibrillarum ordine aeque vario, dum paulatim ejuſdem ſucci ſecretiones fiunt, animantia ipſa aut amplificentur & creſcant, aut a vitioſis organorum morbis convaleſcant. Ex qua inſuper theoria conſequens eſſe putat Vir ipſe eximius, ſecretionis organa eo diametro a natura fuiſſe condita, ut propterea peculiarem ſibi ſuccum hauriant, quod illius molecularum figurae ſe habeant congruentia omnino, & ad invicem cohaerentia (*a*). Eleganti ſimilitudine hujuſmodi oeconomiam depingit, quum ſecretoria organa liquorem ſemper abſorbent ſibi analogum, qua, experientia demonſtrante, panni ſericei aut lanei (quam primum in vas aliquod multiplici ſuccorum mixtione repletum immergantur) non alium ſinguli ex tot ad ſe adtrahunt, niſi illum, quo prius fuerant imbuti.

§ 171. Animantium igitur aegritudines, organorum incommoda, & quae inde conſequuntur moleſtiſſimae animae perceptiones aut venefica fluidorum natura exoriuntur; quod nempe nutritii humoris ſecretio ſaepe depravetur ab aere, alimentis, a nimia ſanguinis copia, aliiſque principiis; aut quod non omnes fluidorum moleculae organorum diametris & variae texturae bene reſpondeant; unde proficiſcantur neceſſe eſt multiplices illi

(a) *Ibidem* § 85.

illi aegrotantium hominum & Brutorum ſtatus, quibus arte medica tametſi quandoque conſulatur, plerumque tamen ob rerum meliorum & Phyſices abditioris ignorationem irrito prorſus conatu morborum vim frangere aut propulſare aggrediuntur, qui ſe medicinae profeſſores eſſe, non re quidem, ſed verbis ſolum gloriantur. Verum haec ſatis fuiſſe arbitramur in praeſens, ut ab incepto animalium aegritudinum labore tantiſper quieſceremus; nunc autem inſtitutum earundem curſum repetamus.

§ 172. Inter omnia, quae variis ſubjacent morbis, Bruta, dubioprocul equi cenſeri debent, a quibus etiam quum aegrotant certiora eorum ſigna petuntur. Eleganter Virgilius aegrotantium equorum ſtatum paucis complectitur verſibus (*a*).

Labitur infelix ſtudiorum atque immemor herbae
Victor equus, fonteſque avertitur, & pede terram
Crebra ferit, demiſſae aures, incertus ibidem
Sudor, & ille quidem moriturus frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit:
Haec ante exitium primis dant ſigna diebus:
Sin in proceſſu caepit crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque adtractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia ſingultu tendunt; it naribus ater
Sanguis, & obſeſſas fauces premit aſpera lingua.

Haec ſunt potiora in equis febrium acutarum indicia, quas Vegetius epidemicas plerumque eſſe arbitratur. Attamen ſi eidem non ſolum, verum etiam Pelagonio, Bu-

(a) *Georgic. Lib. III.*

Buſio, Theomneſto, Columellae, Plinio, Petro Creſcentio, Abſyrto, Hierocli, aliiſque permultis Mulo-Medicinae magiſtris fidem accommodemus, tot plura ſunt equinae incolumitati adverſa, quae a pabulis, ab aquis, aere, aliiſque nonnaturalibus nec non praeternaturalibus cauſſis prodeunt, ut illa ſingula vix complecti in praeſens valeamus. Equi cumprimis varios hauriunt morbos laſſitudine, aeſtu, frigore, vel ſi poſt concitatiorem motum confeſtim bibant, aut ſi, quum ſteterint aliquatenus, ad repetendum curſum extimulentur: qui tamen non equis ſolum, verum iis etiam pecudibus, quorum ſolidae ſunt ungulae, communes eſſe dicuntur. Quae vero iſtiuſmodi Brutis peculiaria ferme ſunt incommoda obiter ſat erit recenſuiſſe: ſcilicet capitis dolores, ventris atque inteſtinorum cruciatus, nervorum laeſio, oculus cruore ſuffuſus, ejus inflammatio, lippitudo, caligo, atque albugo; dentium dolor, tonſillae, haemorrhagia, ſtrumae, tuſſis, ſtrangulio, aſthma, lumbrici, nephritis, ſtranguria, mictio ſanguinis, tumor teſtium, urinae difficultas, artritis, podagra, atque, ut reliqua pene innumera praetereamus, langium in cauda, a quo nimirum veluti a canceroſa pravitate caudae pili, & oſſa defluunt atque marceſcunt.

§ 173. Ovillum pecus, poſt equorum mala ſummatim enumerata, ſuis non caret aegritudinibus. Ipſum febribus ſaepe correptum, earumque ſigna tradit diſerte Virgilius (*a*). Peſtilentiae item venefico infici halitu teſtatur ibidem; quem *ignem Sacrum* Scriptores vulgo dixere. De ovium hujuſmodi epidemica lue egerat Se-

(a) *Georgicor. Lib. III.*

Seneca (*a*); quam nimium graſſantem in Pompeis celebri Campaniae Urbe oves invaſiſſe adeo ipſe docet, ut ſexcentarum ovium grex inde fuerit exanimatus. Hujuſce caedis cauſſam ab aere praeſertim frigido, & ab aquis etiam merito putat eſſe repetendam; a cujus philoſophandi ratione neminem arbitramur fore diſſidentem. Quae alibi eodem Seneca referente olim contigere, eadem anno Chriſti 1552. viſa fuiſſe Vierus enarrat (*b*) in Lucenſium agro circa Pagum Menapiam; in quo nimirum tam ferox graſſata eſt in oves contagioſa tabes, ut mortuae repente concíderent, & earum ſanguis, ſi nudum contigiſſet hominem, anthraces illico produceret. Praeter oves ipſas, morbo comitiali capreas etiam miſere obnoxias eſſe praeclariſſimam fidem facit Hippocrates (*c*), quem conſulere quiſque pro lubito poterit. Alia plura morborum genera ad oves pertinentia perſequuntur Ariſtoteles, Columella, Albertus Magnus, aliique deinde Recentiores de Arte Veterinaria Tractatores, quorum tamen neque verba neque ſcita proferuntur, ne brevitatis fines excedamus.

§ 174. Porcorum greges ſuis afflictantur ex aequo morboſis eventibus, quorum genera pleraque enumerat potiſſimum Ariſtoteles (*d*). Raucedine ſaepe laborant, qua, eodem affirmante, *maxime fauces maxillaeque inflammantur: ſed idem malum vel qualibet alia corporis parte contrahi poteſt; jam enim plerumque in pedem*,

(a) *Natural. Quaeſtion. Lib. VI. cap.* 27.
(b) *De Praeſtig. Daemon. Lib. VII. cap.* 28.
(c) *Libr. de morbo ſacro.*
(d) *Hiſtor. Animal. Lib. VIII. cap.* 21.

dem, alias in aures incumbit. Putrescit protinus membrum, & ulcus serpit, donec ad pulmonem deveniat; quo tacto, mors sequitur. Tam late patentis incommodi causſam affert autem eodem loco; quae profecto non videtur esſe negligenda: scilicet sues *rauceſcunt potiſſimum anno, quo montes abunde tulerint, & pinguiſſimi ſint.* Ipsos praeterea pulmonarios fieri, atque spleneticos luculenter docet Columella (*a*); quorum item morborum causſam a diverſis repetit initiis: quippe primum evenire ait, si suillum pecus *somnos aeſtivo ſub ſole captet*, alterum vero fieri *in magna ſiccitate*. Toto vero corpore non tantum ob ciborum inopiam seu parſimoniam in iisdem Brutis maciem dominari, verum etiam si ipsi coitu prohibeantur, qui in Venerem, ut alibi (§ 100.) diximus, sunt ardentiſſimi, idem nobis est Auctor. Tussi quoque anhela corripiuntur aliquando illa, quae totum eorum convellat concutiatque corpus; quemadmodus loco laudato Virgilius hisce verbis asseverat. „

„ *Tuſſis anhela sues, & faucibus angit obaesis.*

§ 175. Boum latiſſimum per armenta quaeque genus febribus, perinde ac quadrupedia alia multa, haud raro torquetur. Earum quae sint certiſſima indicia, quaeve causſae non a philosophis, sed ab experientia atque a bubulcis solum neceſſe est ut exponamus: etenim quotquot boves iisdem febribus aegrotari contingunt, omnem respuere cibum manifesto conspiciuntur, deorsum toto capite nutant, lacrymantur, sordeſcunt oculis, horumque cavitates altius depreſſae cernuntur.

Qua-

(a) *Lib. VII. cap.* 10.

Quatuor vero definiri febrientium boum vulgo a Mulo-Medicis solent physica principia; immoderatus nimirum labor, aut si contra otio nimium in stabulis diffluant; frigus, aestus qua tempestate utrumque supremis gradibus polleat, ac si demum absque intervallo ullo post diurnam exercitationem continenter exactam cibus iis potusque praebeatur. Graviſſimum tamen illud teterrimumque malum existimatur, quum pecus hocce contagiosa lues adoritur; cujus aliquando tanta est tamque saeva pestilentia, ut ejus non pauci inter arandum, tametsi pingues, sospites, viribusque exultantes, subita morte exanimes saepenumero concidant. Graphice suo more Virgilius eodem, quem superius commendavimus Libro, rem carminibus exhibet, ejusque cauſſam indigitare videtur; cujus tamen verba, ne brevitati obsint, consulto volumus praetermittere.

§ 176. Haec de quadrupedibus nonnullis, etsi arctiſſima historia a nobis scripta fuerint, aequus lector nihilominus animadvertat loco huic ita fuisse omnino consentanea. Nunc igitur restat, ut antequam graviora sermonis propositi momenta colligere studeamus illud potiſſimum statuatur, quod cum antecedentibus copulatum praeclariorem dicendis lucem valeat conciliare: scilicet nutritium illum succum, cujus paulo superius mentio saepe a nobis est habita, haud alium sapientioribus in arte medica Viris posse jure videri, quam lympham, serum, sive gelatinosum quendam humorem, cujus hausu, ut animantia cuncta aluntur & crescunt, atque in optima incolumitate perseverant, si ad componentium elementorum aequilibrium diu ille servetur,

ita

ita contra ipsa morbos experiuntur multos, quamprimum ab equabili eorundem elementorum aggregatione desciscat qui gelatinosus humor est appellatus. Porro in salutiferam hujusmodi naturam idem in animali machina ab alimentis permultis ideo secernitur, quod, teste Clariss. Geoffroy (*a*), *omnia mixta ex animalium familia desumpta succum gelatinosum continent, ex sale salso ammoniacali, & oleo crasso constantem, qui ex eorum pellibus, carnibus, ossibus, aut cornubus ebulliendo cum aquae uberiori copia, sub gelatinae vel glutinis specie extrahitur.* Quare ipse dicere legitime prosequitur quod rei nostrae bene est accommodatum: *ab hoc gelatinoso succo parum differunt sanguis, serum, & lympha.* Hisce vero animadversionibus illae etiam accedunt, quae a celeberrimo & eximio Philosopho Hermanno Boheravio (*b*) in eundem humani Corporis nutritium liquorem factae leguntur his verbis: *Serum hoc* (ita inquit) *saporem blandum, occulte salsum habet, odorem fundit ingratum.* Ex quibus verbis facile colligitur, non parum in hac ferosa substantia tum salis ammoniaci, tum volatilium spirituum contineri, qui aliis flogisticis moleculis commixti non recensita solum saporis odorisque phoenomena explicant, verum etiam (si in definito contineantur aequilibrio) membris omnibus alimentum praebent consentaneum.

§ 177. Ampliora supra quam censeri ab unoquoque valeat supereressent de terrestrium, ac volatilium Brutorum morbis vel obiter attingenda; quae nihilominus elu-

(a) *De Materia Medica Tom. I. cap. 5. pag.* 25.

(b) *Elemen. Chemiae Tom. II. Part. II. pag.* 192.

elucubrare certe prohibemur, ne legentium plerique nobiſcum jure ſuccenſere cogantur. Quiſquis itaque ab inſtituto efflagitaret nunc noſtro, ut Piſcium quoque vitia opportune explanarentur, illud ſe petere una ſimul oſtenderet, quod vel ſummis accuratiſſimiſque Viris factu impoſſibile viſum hactenus fuit. Si nonnihil conjecturis indulgere fas eſt iis, quae non umbratili innituntur argumentationi, primo dicamus neceſſe eſt, ea tum maxime aquatilia aegrotare poſſe, quum aquam ſimul & aerem reſpirare feruntur. Horum numero adcenſeri ea plerumque ſolent, quae ut de Caetaceorum ſunt genere, ita reſpirationis opus abſolvunt pulmonum & aſperae arteriae praeſidio, quemadmodum homines, & quadrupedia univerſa. Quare Balenae omnes, ut, Plinio Auctore (*a*), ſiphone quodam in frontis vertice a natura donatae aquam ore hauſtam rejiciunt, atque in ſublime efflant quaquaverſus, ita eaſdem aerem etiam reſpirare argumento eſt apertiſſimo, quod ſaepe ſaepius ſummis aquis erectoque capite huc illac fluitare, atque ita ſomnum capere conſpiciantur: cujus rei perinde fides propterea augetur, quod ipſae maris belluae facile ſuffocationis diſcrimini committantur, ſi diutius ſub aquis detineantur, quin aeris quoque inſpirationi exſpirationique in earum pulmonibus relinquatur locus atque facultas. Conſulatur appoſite Rondeletius (*b*), quem primum fuiſſe omnium nemo refragatur, cujus ſtudio patefactum ſit quomodo aſpera arteria in eaſdem Balenas mirifice diſſeminetur. Quamobrem haud illegitime

(a) *Lib. IX. cap. 6.*

(b) *Lib. III. de Piſcibus Marinis cap. II.*

time nobis inferre posse videmur, caetaceos Pisces suis affligi, probabili cuipiam philosopho opinione, sanitatis detrimentis, iis quidem similibus, quibus obnoxium esse ob variam aeris temperiem universum animantium genus alibi asseruimus luculenter (§ 159.)

§ 178. Quum vero Pisces universi sanitatis munere, ut Bruta omnia, gaudere debeant a natura largito, suis quoque contrariis ipsam labefactari opinemur necesse est; tametsi in quibus sint constituta ignoremus plane. Latissimus sospitatis vigor tum primum aquatilia cuncta animantia comitari cuiquam apparet, quum corpore toto flecti exilientes, & per quaecumque aquarum spatia discurrentes pro suarum fibrarum vi, elasticitate, & orgasmo conspiciuntur. Supervacaneum est enarrare quae quantaque sit in eorum singulis natandi currendique celeritas: existunt nihilominus ipsorum non pauca, quae non tantum natare sed etiam volitare incredibili pene virium nisu dicantur. Qui sint prae aliis potissimum tam valida pisces fibrarum elasticitate instructi Plinius (*a*) verbis hisce consignat: *Loligo etiam volitat extra aquam se efferens; quod & Pectunculi faciunt, sagittae modo*. Alia insuper piscium genera tantundem firmissimo valere corporis totius jactu tradit Rondeletius paulo antea laudatus (*b*), eademque ita recenset: *Vidi equidem hirundines marinas ad lapidis jactum extra aquam in aere volitasse, & milvos, & mugilum genus alatum. Hujusce rei locupletes sunt testes, qui ad Herculis columnas navigant, quo in loco*

(a) *Lib. IX. cap.* 29.

(b) *Lib. IV. De Piscibus Marinis cap.* 8.

co hirundines multae volare videntur. Plura ibidem de Exocaeto saltante, nec non de Salmone aquarum fontes citissimo ictu petente docet, quae facillima lectione in eodem consuli possunt. Quis vero omnium maxime ad perniciissimum motum sit expeditus ex aquatilium regno universo Plinius (*a*) diserte hisce verbis prodit: *Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est Delphinus, ocior volucre, ocior gelo: ac nisi multum infra rostrum os illi foret, medio pene in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet*. Ejus robur item, & facilis semet jaculandi in sublimiora navium usque fastigia potestas (praeter alios quos saepe laudavimus Auctores) ab Aeliano (*b*) scite admodum commendatur.

§ 179. Verum qui hactenus levi solum, ut ajunt, vestigio Brutorum aegrotantium historiam hinc inde excerptam delibavimus nostra summopere interesse tandem aliquando debebat, ut ex praehabitis supremum illud colligere latissima argumentatione satageremus, quod fuit potius Capitis hujusce consilium. Omnium itaque animantium naturales quae passim functiones dicuntur, quum duabus maxime legibus peragantur inter se admodum adversis, inde nobis propterea acriora sunt petenda sermocinationis nostrae momenta. Scilicet viventibus sensu donatis, atque ad percipiendum instructis sensus duplex contingere genus alibi exposuimus, quod invicem haudquaquam cohaeret (§ 146.): hoc autem fieri idcirco inficiari non possumus, quod a principiis utrumque pendeat inter se pugnantibus, quorum unum

vi

(a) *Lib. IX. cap.* 8.

(b) *Lib. XII. De Animal. cap.* 12.

vi ſua aequabiliter, alterum vero tumultuariò corporis viventis fibras artuſque commoveat. Cauſſae porro hujuſmodi per ſe ſe operantur, & organa tum hominum, tum Brutorum idcirco immutant, quod utraque habeant a nativa conditione mutuam in excipiendis immutationibus analogiam (§. 131.) Viventis igitur animalis ſtructura omnis fibrillis molliſſimis & admodum irritabilibus conſtans, aut ordinate percellitur, nec non humoribus irrigatur ubique ſalubribus (§ 137. § 138.); atque inde voluptuoſae ad animam deferuntur ſenſationes; aut cauſticis, ac irritantibus fluidis vaſa eorumque orificia tanguntur, unde diverſis impellentium liquidorum quum legibus obtemperare adigatur, diſpares neceſſe eſt propterea ut anima ipſa ab animali aeconomia tam arcto nexu dependens, invito animo percipiat ſenſationes. Utrumque nihilominus perceptionum genus rigentibus ac ſemet contrahentibus muſculis elaſticitatis vi, & principe cordis motu ſemper adminiſtris perfici debet (§ 138. § 139. § 140.). Senſationum igitur cauſſae omnes a ſanitatis ac morborum principiis haudquaquam differre inter ſe poſſe videntur: quippe animantium cpoſitus hujuſmodi ſtatus a varia membrorum irritabilitate ortum ducat, cujus opera ſibimet natura continenter ſimilis & aequabilis efficit, ut quae ab ipſis animantibus aut pro delectabilibus appetendis conquirendiſque, aut pro rebus dolorificis poſthabendis fugiendiſque exercentur nonniſi huic uni utriuſque invicem adverſi conatus latiſſimam vim referant penitus acceptam (§ 141.) Si ergo in Brutis eadem vigeat irritabilitatis facultas (§ 143.) eademque perinde in iſtis detecta jamdiu fuerit

rit cum organizata hominum machina communis vaſculorum, fluidorum, viriumque animalium in ambobus perceptionum generibus oeconomia (§ 145.), unius proinde ſenſationis ab altera belluae ita ſentientes diſcrimen agnoſcent; utpote quae a diverſa prorſus cauſſarum virtute ſui corporis organa ſentiant immutare. Harum quidem praeclara ſenſationum diſcrepantia eò eſt in Brutis omnigenis cuique patefacta, quò externa earundem ſigna (de quibus inferius uberiori differere calamo pollicebamur) magis decretoria fore aſſeruimus (§ 146.)

§ 180. Iure igitur affirmemus oportet, ſingulas Brutorum functiones, quas ſuperius commemoravimus (§ 135.) eorum membrorum exercitationibus perfici, in quibus aut ſenſus aut irritatio ſolum, aut utraque vis dominatur (§ 142.). Huiuſmodi autem virium exercitatio a duplici principiorum *nonnaturalium*, & *praeternaturalium* genere omnino pendere meriro dicitur (§ 136.). Quamobrem ſi cauſſae utrinque in Brutis operantes aequabilem haud invertant naturae methodum, muſculorum omniumque organorum niſus illud efficiet delectabile, quo homo incolumis magnopere gaudet: pecudum ſiquidem ſoſpitas ab iis pendet ſingulis ſanitatis momentis viribuſque plane comparibus, unde hominum vigor & vitae conſtantia definitur (§ 135.)

§ 181. Bruta igitur a rectae ſanitatis finibus diſcedere coguntur, & alias pati ſenſationes ſolent injucundas atque dolorificas, quamprimum gelatinoſa lympha immutetur illa, cujus beneficio, ut animantia cuncta aluntur & creſcunt atque in optima incolumitate per-

ſeverant, ſi ad componentium elementorum aequilibrium diu ipſa ſervetur, ita vitia quamplura conſurgunt ut primum ab aequabili eorundem elementorum aggregatione deſciſcat (§ 176.). Inficitur autem, atque immutatur illa, quum ejus per arterioſos lymphae ductus circulatio ita perficitur, ut non ut antea ſingulis machinae animalis partibus ſaluberrimum praebeat affluxum, ſed ſuis potius moleculis acribus, ſalinis, biliosis, vitriolicis, atque aluminoſis vaſculorum eorundem internam ſuperficiem extimulet, dividat, erodat, atque alia efficiat praeterea, quae animae torquendae ſolum aptiſſima ſunt (§ 169.) Quum neminem itaque ex dictis hactenus latere amplius debeat, ab animi pathematibus (§ 157.), ab aeris varia atmoſphaera (§ 159.), a magna plus aequo ſanguinis humorumque circulantium copia (§. 160.), a cohibita Venere (§ 161.), ab omnigena alimentorum natura (§ 162.), a ciborum exceſſu (§ 163.), & a quampluribus reliquis (§ 164. § 165.) morborum principiis pleraque (niſi omnia dicamus) petenda fore ſanitatis detrimenta, inficiari proinde nulli profecto fas erit, ab iiſdem cauſſis ſeroſi ejuſdem humoris omnem proficiſci reipſa immutationem; a qua demum omnis perinde fluit naturalium functionum perditio, aut imminutio.

§ 182. Sed haec, niſi forte fallamur, non adeo perſpicue propoſita videri nobis certe poterant ad extremam ex conſtituto conſilio fermocinationem, niſi alia quaedam è Phyſiologiae ſcientia loco huic admodum conſentanea peterentur. Horum primum (quemadmodum caetera deinceps) ut a Medicorum nemine in ſuſpi-

ſpicionem adducitur, ita nobis certiſſimum manet; arterioſos ſcilicet lymphae nutritiae ductus; tametſi univerſis corporis partibus ſatis congruum deferant robur & incrementum; non aequa tamen largitione efficere, ut membra humorem ſibi; quomodo & Phyſici loquuntur; abſque ullo diſcrimine gelatinoſum aſſimilent. Solidae videlicet humani & belluini corporis partes in duo genera ſecernuntur; quorum unum illas ambit, quae regulari cavitate donantur, ut oſſa nonnulla venae, arteriae, aliique ductus humoriferi, alterum vero, quod eas complectitur, quae hac cavitate a natura privantur, ut fibrae omnes carnoſae, membranaceae, & quae ſunt reliquae in tota machinae ſtructura. Pro varia itaque ſolidorum textura, & fibrarum ſitu quaedam adtrahuntur per immechanicas vires è gelatinoſo humore moleculae, quae dilatandis reficiendiſque artubus apte reſpondeant; quemadmodum rem perſpicue experimento ſunt aſſequuti Viri Clariſſ. Wanſwieten (*a*), & Hallerus (*b*) in oſſea ſubſtantia, quae frangi contigerat: teſtantur ipſi nimirum, è quolibet oſſis confracti puncto gementem ſuccum quendam fuiſſe ſpectatum, qui paulatim, ſufficienti ſoliditate comparata, par ſatis per ſe fuerat ad priſtinam continuamque ſegmentorum duritiem tribuendam.

§ 183. Facile ergo captu videri cuiquam debet, cur tot tantaeque dolorificae ſenſationes animam torqueant hominum atque Brutorum: ab immutata nam-

 que

(a) *Comment. ad Boherav. Aphoriſ. de cognoſcend. & curandis morb. Tom. I. § 294. pag. 40.*

(b) *In notis ad Boherav. inſtitut. § 476. pag. 370.*

que gelatinosa lympha ob quamplura morborum principia omnes pervertuntur assimilationes, quae contra naturae ordinem operantur; ac ipsae proinde fibras, musculos, & nervos acriter, motuque irregulari vellicant, ac suis veluti spiculis pungunt per omnes corporum animalium anfractus vel tenuissimos, quà serosus ille beneficus humor in sanitatis integrae statu permeare deberet. Porro experimenta recentiora docent, ita per immechanicas vires a diversis organici corporis partibus alentem lympham in sui adtrahi beneficium sive perniciem, ut osseae, musculares, alteriusve generis partes peculiaribus quibusdam sibique accommodatis vestiantur a natura membranis, per quarum poros, veluti per cribros totidem secretarios, eae solum moleculaarum trajiciuntur portiones, quae aut unicuique augendo visceri, aut ipsi contra male habendo, pro peculiari materiae ratione, sint apte cohaerentes. Id compertissimum fore universi medicae facultatis testantur cultores in multiplici illo fluidorum genere, quae per membranas veluti cribrata sub bilis, salivae, urinae, succi gastrici, aliorumque plurium nominibus designantur. Quae praeterea in pluribus tumoribus, qui *Cistici* appellantur, materia depascitur purulenta, non aliunde repetenda est, quam è membrana illa, quae *Cistis* dicitur; per cujus porulos moleculae quaedam a reliqua ieri massa secernuntur, quae demum in tumidam coeunt superficiem vitioque carnem reddunt obnoxiam. Mirum quidem est quantam necesse sit in hisce extirpandis diligentiam adhibere! Etenim ut optime expendit celebris Daniel Sennertus de re medica inter Veteres

teres benemeritus (*a*), si vel exigua hujusce membranae portio, post extirpationem, superfit adhuc, satis per se est ad novam tumescentis carnis materiam iterum producendam.

§ 184. Gelatinosa igitur seri substantia, quae ubique Brutorum per organizata corpora assimilatur, ut benefica apte est, & delectabilibus sanitatis sensationibus animae reddendis idonea, quum probe est elaborata, ita contra, si in eodem seroso humore vitium obrepat aliquod, tam acriter graffatur, ut solida quaeque paulatim perdat, aut emaciatum corpus efficiat, omnesque proinde eorum sensationes dolorificae fiant & injucundae. Porro existunt plura, quae Physicorum communi sententia impediunt, quominus gelatinosus humor in pristina salubritate diu perseveret, quorum pleraque superius attigimus (§ 157. § 159. § 160. § 161. § 162. § 163. § 164.). Acerrimus nimirum, & causticus, aut etiam nimium aqueus succus exprimitur, qui vel interna ad animales functiones vasa ulceribus absumit; quemadmodum in *Thisi* evenire omnes norunt; vel partes cuti solum contiguas erodit; ut contingit ex Sennerti animadversionibus (*b*) in multiplici Graecorum *Lepra*, nec non in Arabum *Elephantiasi*; vel demum, quia solida aquei humoris copia nimium sunt distentae ac debilitatae, nequeunt proinde niti, ut stagnantem quodammodo, in minimis praesertim tubis, liquorem expellant, & per circulationem ad aequam densitatem perducant: ex quo noxii humoris confluxu, aut Hidrops, aut Edema-

(a) *Medic. Practic. Lib. V. Part. I. cap.* 35.

(b) *Oper. Medic. Tom. II. Lib. V. Part. I.*

matoſi morbi ortum habent, qui ut in homine, ſic etiam in Brutis, ac, teſte Clariſs. Haleſio (*a*), in plantis reipſa gignuntur. Quamobrem legitime inferre poſſe videmur, omnia morborum genera, quibus varia volucrum & quadrupedum genera affligi cernimus quotidiana edocti experientia, nonniſi a duobus nuper expoſitis ſupremis capitibus fore repetenda. Scilicet, ſi Falcones (§ 167.) alkaleſcentium humorum vi febres aliquando patiantur, ideo ipſi diverſa animae ſentientis indicia praebent, perſeverante aut etiam incipiente febrientis materiae orgaſmo, quod nutritia lympha a molecularum ſalubri aequilibrio receſſerit, & in acriorem ſubſtantiam fuerit ob multiplicem recenſitarum cauſarum rationem converſa. Eadem methodo de Equorum febrientium aegritudinibus philoſophari debemus (§ 172.) atque immutatas idcirco animae perceptiones dicamus oportet, quod diverſa ſint eo ſtatu muſculorum irritamenta a depravatis fluidis prodeuntia, quemadmodum ſigna ibidem ex Virgilio exhibita ſatis ſuperque decernunt. Ita etiam opinari tuto debemus quum ovillum pecus univerſum non tam febribus, quam peſtilentia nimium miſere laborare dicebamus (§ 173.). Tantundem de Suibus dicere tuto poſſumus, ſi quando inflammatoria angantur raucedine, aliove peſſimo efferveſcentium humorum morbo (§ 174.). Ad eundem ſermonis hujuſce ſcopum converti facile poſſunt quae de Boum febribus, & luc contagioſa, & dira admodum obiter innuebamus (§ 175.): quippe, quum febris dominatur, infecta lympha moleculis ſuis internam ſuperficiem vaſcu-

(a) *Statique des Vegetab. pag.* 274.

sculorum omnium, quà ipsa circuit, exstimulet, dividat, erodat, atque alia efficiat praeterea, quae animae torquendae solum aptissima sunt (§ 181.) Deest itaque animantibus cunctis febribus & quacunque contagiosa lue exagitatis gelatinosus ille succus ex sale salso ammoniacali, & oleo crasso constans, quem ut ex Clariss. Viro Geoffroy (§ 176.) animadvertimus, ita incolumitati diu servandae perditisque viribus reficiendis necessarium atque opportunum fore universi de arte medica optime meriti atque periti calculo testantur unanimes. Si vero iidem, qui paulo ante commemorati sunt, Falcones apostliematibus, tumoribus, oculorum suffusionibus, aliisque non admodum dissimilibus morbis laborent; si pituitario humore inferciantur Phasiani, si scabie, & lepra male habeantur Cornices, si Equi oculorum lippitudine, strumis, sanguinis mictione, testium tumore, artridide, podagra, pluribusque aegritudinibus torqueantur, quemadmodum (§ 171.) animadvertimus; si quaecumque demum eorum morborum genera recenseantur, quae paulatim prohibent, ne solida aquei humoris copia nimium distenta bene nitantur, ut stagnantem quodammodo, in minimis praesertim tubis, liquorem expellant, & ad aequam densitatem perducant; illa inquam omnia, si in animantium corporibus saepe contingant, ideo in eorum perniciem atque moerorem parantur, quod non tantum succi nutritii incongrua mixtione virulenta dominetur circulatio; quae omnem animalium aeconomiam perturbat, quae irritabilitatis atque etiam elasticitatis tantopere necessariae vires frangit; verum etiam, quod non omnes fluidorum molecu-

lae

lae organorum veluti cribrantium diametris & variae texturae bene respondeant (§ 171) Sed haec rudiori quam rei gravitas per se se efflagitare videbatur, calamo & philosophia absolvisse dicemur; quamquam non satis nobis, caeteris autem multo minus, feciſſe videmur. Omnem itaque Capitis hujusce materiam paucioribus ita complectamur, ut eo demum urgeatur quo scopus scribendi noster primum spectabat.

§ 15. Bruta igitur, quum multiplicem dolorum sensum percipere videantur; quem repellere a se pro viribus studeant; illud etiam se sentire testantur, quod voluptas tota est; cui nanciscendae diuque servandae cuncta eorum vota & studia videntur esse conversa Si nihil itaque sensus belluis ineſſet, nullum perinde inter utrumque perceptionum genus (§ 146.) monstrarent discrimen; ideoque si non doloribus moerere, neque voluptatibus laetari ipsi dubio procul essent dicendi. Quisquis haec tamen vesana cogitatione sibi comminisci voluerit, equidem ignoro quanam exotica prorsus philosophandi ratione inter sapientes Viros versari audeat, & sua etiam effutire colloquia. Quisnam quaeso inficiari jure poterit, Bruta reipsa gaudiis exilire, atque in recta valetudinis delectatione quiescere, quae paria cum hominibus voluptatum principia sortiuntur? Quippe in ipsis irritabilitatis servantur leges, & musculi & fibrae omnes iisdem continentur naturae officiis, quibus hominum incolumitas, vigor, & vitae voluptas definitur. Quae ergo bonae valetudinis constantiae, quemadmodum humanum genus omne, vehementi cura & jucunditate obtemperare compertissima jam experientia cer-

cernuntur, ipsa etiam ex adversis depravatae sanitatis momentis illa etiam percipere dubio procul cogi poterunt, quae nonnisi invito sensu, & voluntate ab anima excipiuntur.

§ 186. Jam ergo illa repetamus, quae orationi huic coronidem tribuant, & robur extremum concilient. Quae sint constantis in animali corpore sanitatis leges, & munia; unde sensus jucundi vis ad animam pertingit; paucis complexi fuimus alibi, & praeclare exhibuimus (§ 138. § 139 § 140. § 141. § 142. § 143. § 144.): Hisce vero quamplura adversantur quotquot uberi elucubratione aegritudinum principia definivimus (§ 157. § 159. § 160. § 161. § 162. § 163. § 164.) Quum itaque utrique corporum suorum immutationi Bruta ex naturae imperio subdantur, dubitare jure non possumus, quin in ipsis (quorum est cum organizata hominum machina communis vasculorum, fluidorum, virium que animalium omnium oeconomia (§ 145.) sensus germani perceptio pro diverso eorundem statu efficiatur. Porro belluae, si percipiant vim sensus, ab eodem principio habere in se debent ut sentiant, & simul intelligant (§ 147. § 148. § 149.); quod quidem ita ratione quemlibet urgere debet philosophum, ut non solum fateri & probare illud cogatur, quod pressae sermocinationi fuit alibi (§ 152.) commendatum, verum etiam renuere non debet, ob rectum rationis nexum, illud ipsum intelligendi in Brutis principium tanquam spiritale spectare, quod nulla prorsus materiae concretione constet, & a qualibet corporis ratione sit segregatum.

§ 187. Huc demum nostrum spectabat disputationis con-

consilium; quod etsi lectori acuto in primo ferme Capitis progressu satis fuerit adumbratum, & praecoci etiam sermocinatione conflatum (§ 152.) illius tamen latius incrementum a caeteris educendum existimavimus, quae rem in praeclariori lumine constituerent. Hactenus disputata quamquam magni sint ponderis habenda, magnique apud philosophos pretii, ista tamen reliqua postulant, quae sequenti Capite publico committemus judicio.

CAPUT V.*

Quaecumque a Brutis eduntur ſigna vocibus, ejulatibus, aliiſque doloris aut voluptatis argumentis veram in ipſis ſenſationem fieri decernunt.

Aecutire nos aut haerere ſuſpenſi certe non debemus, quin inpraeſentiarum praeclaro erectoque ingenio in hac ipſa diſputatione progredi debeamus, qui ampliſſimum hactenus iter ex ſuperioribus haud intercluſum fore pervidemus. Erit igitur philoſophi non tam glorioſa, quam vera quaerentis a Brutorum noſtrorum ſignis de germana eorum ſenſatione multo facilius poſſe definire: quippe animales illorum, quae dicuntur functiones, cum perſpicua ſenſus & irritabilitatis natura collatae, ita iiſdem quum fuerint bene adjudi-

judicatae ut nulla adverſus eorum ſpiritalitatem reliqua fuerit difficultas, ipſae profecto in medium iterum advocantur, ut cum multis animae ſentientis argumentis comparatae magis magiſque vel invitos ad adſentiendum vehementer compellant.

§ 189. Itaque unuſquiſque praeſtans ingenio & diligentia, qui nullum ab exterioribus actionum humanarum ſignis diſcrimen inveniat, quod Brutis etiam commune non ſit, arguere facile poterit, ſentire nimirum, & cogitare, & providere, & diſcere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, laetari, aliaque in lucem proferre ſimilia ita eſſe ſpiritalis animae propria, ut quemadmodum hominibus ſpiritus attributa idcirco eſt natura, ſic Belluis omnibus eb eadem argumenta ſpiritale prorſus operationum ſuarum principium fuerit a ſupremo Conditore largitum.

§ 190. Porro niſi in utroque animantium genere, hominibus nempe atque Brutis, parem dicturi exinde fuerimus intercedere animorum indolem ſive ſubſtantiam; equidem non perſpicio, cur Dicaearchus ille ſapientioribus Viris debeat, ut jure contendunt, accuſari, qui apud Tullium (a) nihil eſſe omnino animum aſſerebat, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque, & animalia, & animantes appellari, neque in homine ineſſe animum, vel animam, nec in beſtia; vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe; quippe quae nulla ſit; nec

ſit

(a) *QQ. Tuſcul. Lib. I.*

sit quidquam, nisi corpus unum & simplex; ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat, & sentiat. Ista vero quum nimium absurda fore nemo non noverit eruditus atque cordatus, ad saniorem propterea philosophandi rationem revocanda mens est, & quid de Brutorum ingenio nosse debeamus ex sensibilibus eorum indiciis patefaciendum nobis est tandem.

§ 191. Universorum igitur numerum etsi complecti & percensere omnem singillatim nequeamus, quibus Bruta quid velint, & quid contra respuere conentur, apertissime ostendunt, ad duo tamen suprema genera referri ilia debere brevior me dicendorum methodus admonet. Ea quippe aut voces caeteroqui inconditae sunt, & sibili, & ululatus, qui aliquem edunt articulatum oris sonitum, aut gesticulationes & diversi generis motus sunt, quorum ope satis superque ipsa Bruta declarant, eos non aliunde, quam ab aliquo mentis instinctu reipsa prodire. Quae vero voces quoquomodo ab iisdem adhibitae latratus, barritus, hinnitus, rugitus, mugitus, balatus a Grammaticis vulgo dicuntur; quibus tamen vocabulis nil aliud innuere belluae solent & volunt, quam variam loquendi rationem, quam suo more & natura fundunt canes, elephantes, equi, leones, boves, oves, aliaeque pecudes, quas silentio ob aequam orationis brevitatem praetermittere volumus, quum pro earum multiplici necessitate urgentur, aut rerum sibi congruentium desiderio.

§ 192. Plura autem existunt in omni qua late patet natura Brutorum genera, quae ululatu discernuntur; quemadmodum Lupi, & Aves nonnulli; alia vero sibilis tan-

tantum, ut ampliſſimum ſerpentium, & volucrum pene omnium regnum, in quibus utriſque tamen tantum tamque latum intercedit diſcrimen, ut a nonnullis uniſonum ſibilum, ab aliis numeroſum & frequenti vocum converſione modulatum quiſquis facile valet experiri, quamprimum attentiores iis accommodet aures ſuas aviculis etiam, quae aut nobiſcum ſaepe verſantur, aut ſtatis tranſvolare ſolent temporibus alio turmatim commigraturae.

§ 193. Nihil de Piſcibus dicere attinet, qui mutorum animantium attributo a Scriptoribus, & ab ipſo rerum meliorum ignaro vulgo appellantur. Ipſi nihilominus ſolent, ut erimus exinde dicturi, tantundem portendere motibus permultis, eaque idcirco ſupplere, quae a reliquis terreſtribus, & volatilibus animantibus vocis praeſidio fiunt. Vocibus carent utique Piſces omnes: neque tamen, ſi illis iſtae aliave id genus ſimilia deſint, hoc propterea putandum eſt, nihil eos unquam habuiſſe a natura, unde ſenſationes patefacerent ſuas, atque pathemata. Quare excutiendum aliquid fore videtur, ut liquido conſtet quid ſit carere, nec quid relinquatur erroris in verbo. Ex Tullii itaque monitis (a) „ carere hoc ſignificat egere eo quod habere velis .... „ Dicitur enim alio modo etiam carere quum aliquid „ non habeas, & non habere te ſentias, etiamſi id fa„ cile patiare. Carere enim in morte non dicitur; non „ enim eſſet dolendum. Dicitur illud in morte carere, „ quod eſt malum; ſed ne vivus quidem bono caret, „ ſi eo non indiget; ſed in vivo intelligi tamen non po-

(a) *Quaeſt. Tuſc. Lib. I.*

„ poteſt regno carere. „ Itaque marinis caeteriſque aquatilibus animantibus etſi vocis qualiſcumque uſus fuerit pro ſuarum neceſſitatum poſtulatione denegatus, eo nihilominus ita privari illa patiuntur, ut nihil inde conſequatur, quod ſibi aut moerorem afferat, aut egeſtatem, aut ad bona conquirenda anguſtiam: habent quippe tot alia a natura praeſidia, quibus ſemet bene tueantur a malis, & delectabilia atque utilia nanciſcantur quot in reliquis terreſtribus Brutis deſiderari a nemine queant. Haec tamen obiter dicta volumus: nunc eo, unde coepta oratio eſt, regrediamur.

§ 194 Taurorum cumprimis mugitus, quum in juvencas libidine furunt atque exardeſcunt, tot quidem voces eſſe animi amore correpti indices perſpicue oſtendunt, quoties ipſi infenſiſſimos alios ex eorundem genere armentis accedere vel eminus videant, qui parem in vaccas aeſtum explere aggrediantur. Alia praeterea ſigna ipſi produnt, quae nonniſi animi cogitantis acriterque affecti eſſe queunt. Singula complectemur pro ea quam locus hic patitur aequiſſima brevitate, quae tum a laudatiſſimis Scriptoribus, tum ab ipſa ſaepe obvia experientia petuntur. Quamprimum ergo alter alterum cernat, uterque continuo taurus mugire incipit, cervicem jactat, & truculento obtutu tum acerrimam utrinque inſtare pugnam minitatur. Concurrunt ambo deinde, poſteaquam pedum pulſu, pulveris jactatione, & frequenti effuſo naribus ſpiritu ſeipſos ad certamen provocarint: effraeni demum impetu invicem ruentes ſemet eouſque vulneribus cedunt, quouſque eorum alteruter è prelio victoriam retulerit, & adverſarium pene proſtraverit. § 195.

§ 195. Quantum Feles insuper inter se dimicent, atque inconditis ululatibus se invicem increpare videantur, non est qui ignoret, nisi qui eas belluas aut infra suas, aut in aliorum domibus familiares viderit nunquam, vel aliquando ejulantes non auscultaverit. Eae scilicet belluae mutuis se lacessere solent contumeliis quo tempore in venerem pronae urgeri se sentiunt, & de acquirenda foemina magnopere contendunt: eorum siquidem animantium masculi eo feruntur singuli, quo natura poscente abripi exstimulantur; quare & majores tunc accedunt pro comparando eorum fine conatus, quem ardentissime expetunt, & flagantiori adversus sibi similes furunt iracundia, quos felicitatis extremae putant esse raptores. Mirum certe est quot ipsi vocum modificationibus atque conversionibus persaepe utantur, quibusque insuper versutiis semet vicissim decipere studeant, quum immobiles vultibus conversis, & saepenumero ad mutuum contactum admotis nonnisi lacrymabilibus questubus fundendis intenti esse videntur! Attamen tanta vocum varietate quid nisi patefacere invicem debent, quam affectuum eorum copia torqueri, qui amorem, & quidem vehementissimum, solent vel in hominibus comitari?

§ 196. Brevi duntaxat animadversione oves, agnos, haedos, hircos spectare obvia experientia debemus, quum isti balantes auscultantur, si potissimum nutantes, incerti, atque a reliquo grege fortassis disjuncti huc illac vagentur, & per arva, perque sylvas & sociis nuncium mittere geminatis tremulisque vocibus contendant, & se una ingenti amittendae incolumitatis pavore

vore correptos esse demonstrent. Aut igitur frustra, atque ad judiciorum ludificationem eorum animantium a natura signa sunt instituta, aut eadem existimemus oportet ita ab iisdem emitti saepe solere, ut non verosimilius solum, verum etiam maxime certum & exploratum inde fiat, quod hujusce Capitis scopo est omnino cohaerens.

§ 197. Nunc deinde canum voces sive latratus expendamus, eorum vero cumprimis qui venatici sunt, quive feras turmatim vestigare ipsasque etiam apprehendere nituntur. Mirum profecto apparet quot ipsi, quum feris iisdem accessere propius, ululatibus prae earum capiendarum fervore obloqui, gannire, maledictisque increpitare soleant! Ipsi autem mirandum plane spectaculum praebere debent philosopho; qui rerum specie tantum haudquaquam delectatur, sed intimam naturae indaginem quaerit; quum suas voces non inconsulto aut intempestive ostendunt, easque pro temporum locorumque circumstantiis adhibere, aut etiam continere scite valent. Porro quum venationi incipiendae canum ductores prospiciunt, atque ab urbe ad arva, & nemora properant illos cernere & audire fas est latratibus ita exultantes atque perstrepentes, ut idcirco eo majori tunc temporis se efferri laetitia testentur, a qua cohiberi non possint, quò leporum, cervorum, aliarumque ferarum persequendarum operi vicinius appropinquare dignoscant. Deinde vero sua venatoribus loca sive stationes quamprimum fuerint pro tutiori belluarum captura constitutae, canes illico conticescere incipiunt, atque ore naribusque semper ad

terram projectis a vallibus ad montes perniciſſimo ſaliunt tranſcurruntque impetu, atque ita omnes lucorum latebras inviſunt, ut ſi qua deliteſcat quaeſita faera fugere, & coram venatoribus huc illac diſpoſitis tranſire compellatur. Sed ſimul ac ſive lepus, ſive hinnulus eruperit aliquis, atque eorundem oculis apparuerit, abſque mora latratus congeminant, atque venatores admonent quid illis facto ſit opus, ne ipſos ab eorum ictibus aufugere patiantur. Quamobrem neminem iſta intuentem, aut ab ipſis venatoribus audientem, niſi per jocum, inficiari poſſe certo arbitramur, canes ejuſmodi iiſdem ad illa conſtanter peragenda impelli reipſa virium mechanicarum conatibus, quae ſint in eorum affectuum, & cognitionum ratione, ut ajunt, directa, quibus pari caeteroquin agerentur impetu homines, ſi pro eorum calliditate variiſque pathematibus propoſitum ſibi quemlibet finem aſſequi ordinatiſſime contenderent. Ab hiſce vero exemplis digreſſi aliorum animantium ſignis Commentaria noſtra eo ſemper illuſtrius amplificare nitamur, quo uberius natura ipſa doctorum indoctorumque magiſtra dicendorum materiam cuilibet undequaque ſuppeditat.

§ 198. Quod alibi Elephantorum ingenium ſubtile atque humano ſimillimum diximus (§ 15. § 59.) rebuſque, & affectibus percipiendis idoneum, hoc ipſum profecto externis vocum aliarumque ſignificationum argumentis ſaepe ſe pandere Scriptores tradiderunt iidem, de quibus temperantioribus viris nullus fuit unquam aequus ambigendi locus, quum teſtes harum rerum accivimus illos, atque laudatores. Bruta porro hujuſmodi quantum

ho-

hominum genus amare, tantundem ab eorum insidiis sollicite cavere dicuntur ob magnum libertatis amorem, in cujus desiderio etiam mansuefacti perseverant. Itaque noctu suam serviendi conditionem, non barritu solum deplorare ex Philostrato refert Gillius, verum etiam luctuosa alterius vocis, non quidem interdiu usitatae, murmuratione, quam gemitibus similem diceres; quibus ita lamentantibus si quis forte interveniat, illico questubus moderantur suis, perinde ac verecundia & hominum conspectu deterrerentur.

§ 199. Quamquam non sumus ignorari, multos studiose contra esse dicturos; non nos tamen ista deterrent, neque a scribendi proposito valent ullatenus revocare: quae certe vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Verum si isthaec philosophandi copia multitudinis judicio solum probanda litteris consignaretur nostris, caecutire nos ipsi consulto vellemus: nullum siquidem latere potest eruditum rebusque litterariis apprime consultum, multos passim reperiri, qui nihil laudent, nisi quod se imitari posse confidunt; nonnullos vero existere, qui ea vituperent omnia, quorum ut verum adsequantur otio, & studio affectibus vacuo abuti non debent. Haec autem de Brutorum ingeniis ab eorum vocibus firmissima, ut arbitramur, demonstratione petitis qui adspernetur, ab universa philosophiae scientia longissime abest, atque eorum hominum numero adcenseri debere se probat, quorum modo meminimus. Attamen nec philosophiae hujus nostrae vituperatoribus respondendum fore decrevimus, neque item minus vera quaecumque hactenus scripta patent existi-

mare debemus, quod eorundem ſuffragiis careant, aut forte tanquam falſa & abſurda traducantur. Caeterum ſi cum aequioribus Commentariorum noſtrorum judicibus ſermocinatio hic eſſet habenda, praeter illa quae hactenus methodo & ratione duce elucubravimus, haſce perinde, quae mox conſequuntur, juxta propoſitum, animadverſiones iiſdem objicere valeremus.

§ 200. Cur homines aut in temperanda voluptate, aut in cohibendo ferendoque dolore moderate agant non ampliſſima ſolum philoſophorum nos docent inſtituta, verum etiam ab intima noſtrum conſcientia atque experientia erudimur. Ipſa nimirum ratio atque educatio praeſcribit optima; ad quam perſequendam nos docti, dicam ne potius, quam facti a natura; ut in utriſque extremis nimium illud caveamus, quod honeſtati, quod decoro adverſatur. Turpe ſiquidem ad rationis leges bene compoſito cuique apparet, aut voluptatum fruendarum motus nolle compeſcere, earumque effraenum ſigna praebere, aut in doloribus exaſperatas voces emittere omnemque animi abjicere conſtantiam, quae ipſum etiam dolorem neſcio quo pacto mitiorem facit. In omnibus denique officiis vitae obeundis, quemadmodum nobis animi adhibenda contentio eſt, ita in omni dolore atque voluptate maxime nobis eſt providendum, ne quid effuſe, ne quid inconcinne, ne quid abjecte, ne quid ignave, ne quid ſerviliter muliebriterve faciamus: aut ſi laetitia exultare, vel ingemiſcere vocibus nonnunquam forti honeſtoque viro conceſſum eſt, utrumque tamen fieri quibuſdam obnitentibus virtutis legibus ſobrie permittitur. Quid haec igitur cum Brutorum vocibus

cibus seu clamoribus quaeso commune? Illud profecto commune omnino intercedere posse censemus, ut quae ab hominibus propter honestatis disciplinam exerceri dicuntur una artis sive educationis ope ab animantibus belluis perinde fiant. Itaque Bruta a capiendis voluptatibus saepe avocantur, neque ulla earum appetendarum sive fruendarum proferunt argumenta, si quando exercitata, aut sub ductoris manu degentia malle se obtemperare ostendant, quam earundem spe allici nunquam patiantur. Ita dolori non cedunt, neque gemitum aut ejulatum ullum lamentabilem, abjectum, imbecillum prodere sinent aliquando, si laborare juxta educationis morem, si ponderibus premi, si asperrima aggredi forte cogantur; etsi ea animi contentione non agant, quam homines honesti atque fortes ob virtutis imperium tenere consueverunt, id tamen efficient vi, terroribus, & minis adacta. Quapropter equi nitrire desinent, aut nec oculos forte in equam convertent, neque ulla libidinis explendae cupiditate commoveri poterunt, quum habenis regi atque in gyrum agi caeperint, aut quum fortassis verbera & equitis imperantis voces senserint imminere, iisque ad usitatas exercitationes vehementer urgeri. Igitur si clamores, si gemitus, si contra delectationis belluae reliquae signa varia intuentibus objiciant aliquando, ideo pro animi eorum diversimode affecti usurpari tuto poterunt argumentis, quod ab iisdem semet abstinere penitus aut temperare aliquatenus soleant, quamprimum educationis vi, seu inveterato receptae disciplinae more cohibeantur, aut in adversam ab earum sensu, & voluntate consuetudinem aequabiliter flectantur.

tur. Etenim si secus virium mechanicarum legibus, ut Automata solent, aut sanguinis tantummodo per omnia vasa excurrentis elatere atque impulsu inania illa & umbratilia doloris voluptatisve, pro re nata, promerentur indicia, nihil sibi artes atque institutiones vendicare unquam possent, quominus perpetuo atque invariabili ordine illa perficerentur. Atqui si dolorum patientiam meditemur, quum belluae permultae sub hominum disciplina gubernantur, nihil certe habet illa, quod cum ejulatibus conferri possit iis, quos saepe ac molestе fundunt ipsae, quum sibi relictae agunt pro varia externarum rerum in organa sensoria dolorifica impressione. Latius manaret haec ratio, si idem in Brutis discrimen animadvertere vellemus quum ipsa oblectamentis hauriendis intenta esse videntur. Itaque in animantibus ratio & disciplina quum illud vehementer efficiat, ut ultro nec in prosperis atque delectabilibus ipsa nimium se exultare, nec in adversis & injucundis frangi ac desperare externis signis demonstrent, jam pervium esse quis non videat, nonnisi a spiritali & spontaneo animae principio profecta illa atque manantia quaecumque a Brutis exhibentur, si quando, nullo accedente praeceptoris imperio sive timore, libere omnino operentur, & se propterea effusa in voluptatibus, aut contra in aegritudinibus dolorificis intolerantia esse sensibilibus permultis testentur argumentis?

§ 201. Attamen minora isthaec quae hactenus diximus fore certo putamus, quamprimum, caeteris omnibus Brutorum inconditis vocibus ferme neglectis, articulatam quorundam loquelam expendere tantisper aggre-

grediamur, atque ad idem propositum referamus nostrum. Quae quantaque Psittaci loquantur is solum potest ignorare, qui nunquam aut eos viderit, aut cum multis scisciantibus colloquentes audierit. Tam mira ac solemnia de iisdem traduntur, ut etsi quinaria tantum rei istiusmodi historicae pars vera esset minimeque suspecta, caeterae autem exceptionibus laborarent, magnum tamen nobis, & firmum omnino suppeditaret ad rem praeclare decernendam argumentum. Atqui omni carere idcirco debent censura quotquot Psittacos miranda plane loquentes descripsere, quòd ii litteris consignaverint, quorum est in amplissimo totius orbis eruditi conventu insignis auctoritas, & decus illustre.

§ 202. De hac itaque ave, quae teste Plinio (*a*) supra omnia Bruta voces reddit humanas, Caelius Rhodiginus tradit (*b*) miraculum insigne suis temporibus visum. *Psittacus*, inquit, *fuit Ascanii Cardinalis Romae centum aureis comparatus nummis, qui articulatissime continuatis perpetuo verbis Christianae Veritatis Symbolum integre pronuntiabat, perinde ac Vir peritus enunciaret*. Hoc autem ingenium, ac mira in addiscendis hominum eloquiis facilitas eò magis patere videtur, quo ipsa promptius ad omnia proferenda instituitur quum inter imberbes pueros ac puellas versatur, cum iisque verba miscere permittitur: quippe tanto in utrosque fertur amore, ut ob eorum discessum tum saepe lugere, tum contra alios Psittacos aemulatione seu invidentiae stimulis agi quandoque visus fuerit,

(a) *Lib. X. cap.* 42.

(b) *Antiq. lect. Lib. III. cap.* 32.

rit, si forte illi eorundem puellorum conversatione fruerentur, quos secum colloquentes non haberet. Haec autem omnia vera se comperisse testatur Scaliger (*a*); quinimo frequenti diurnaque experientia, & animadversione docemur, non in pueros solum ac virgunculas Psittacum amore, verum etiam caeteris hominum more affectibus tangi. Siquidem laetitia exultat, sibi placet, odit, ira fervet, adulatur, gesticulatur, inebriatur, maeret, atque haec aliaque permulta articulatis potissimum vocibus vel similimis decretoriis argumentis praeclarissime ostendit.

§ 203. Quamquam vero tum ex hisce hactenus traditis, tum ex dicendis Capite posteriori, neminem futurum ad veritatem bene institutum suspicari valeamus, cujus in spiritale Brutorum ingenium iniqua prorsus dimicare debeat voluntas, fateri tamen ultro compellimur, atque ea consulto praeferre volumus, quae fortassis objici ab adversariis nostris jam pervidemus: Psittacis videlicet humanum sermonem minime esse congenitum, nec eos, nisi arte & solertia instituantur, hominibus esse comparandos, qui articulatam vocem a natura singuli sortiti praedicantur, ac propterea expedito loquendi munere fruuntur, quamprimum organorum vitia desint, & frequens sermocinandi usus accedat; caeterum Psittaci aphoni pene & muti nascuntur, & qui nondum cicures sunt, quum in sylvis & natalibus locis degunt, nonnisi inconditam *Parroccbet* vocem emittere auscultantur; a qua deinde vulgare nomen ita ipsis impositum manasse conjicimus. Huic nihilominus objecto nos

(a) *Exercit.* 236.

nos quidem nequaquam respondere censebimur, qui illud ex industria protulimus, & cui praeterea libenti adsentimur animo; tametsi nos inde rectam argumentationem inferre certo existimemus, adversarii autem purum putidumque paralogismum educere revera arguantur. Porro humanus sermo nec ipsis hominibus censeri debet congenitus, si ille pro expedita, & libera loquendi consuetudine usurpetur; quare & homines aphoni ferme in hanc lucem eduntur: Psittaci nihilominus non sunt nobiscum certe conferendi, si eorum articulata vox, sive cum ampliſſima verborum copia comparetur, qua ad declarandos animi motus utuntur facillime homines, sive eorundem verborum addiscendorum rationem contemplemur. Quid inde tamen erui legitime debeat, paucis absolvi posse existimamus: minus scilicet operosum esse hominibus, quam Psittacis articulatam loquendi methodum comparare; licet tamen ut linguam exserant exercitatione utrique indigeant atque magistris. Totum itaque nos inter eosdemque aves discrimen haud alibi constitui jure debere affirmabimus, nisi in eo quod vulgo in scholis tradi solet *magis & minus*. Huc item animadvertendum accedit, quod anatomicam totius capitis inspectionem complectitur, quam in Psittaco solerti experientia adornavit ediditque Vir Clariſſ. Ulysses Aldovrandius (*a*). Porro in ea, quam ipse cum humano capite detexit analogia ac simillima organorum structura, non solum rebus verbatim pronunciandis in Psittaco accommodatissimam arguit naturam insignis ille Philosophus, quum a praeceptoribus

aves

(a) *Ornithol. Lib. XI. pag. 639.*

aves edocentur id genus, verum etiam illas saepe saepius voces reddere exacte solere testatur sponte sua, nulloque docente, sive hominum, sive aliorum animantium, quas è trivio semel hauserint, easque frequenter repetitas auscultaverint.

§ 204. Nos tamen qui Psittacorum exempla proferre aliqua non praetermisimus, Picarum perinde nonnulla a laudatissimis Viris deprompta tradere modo haudquaquam pigebit: quae tametsi a Criticis Cartesianis aut in deteriores eorum hypotheses verti, aut inter fabulas amandari fortasse debeant, eorundem nihilominus pleraque a primoribus Auctoribus accepta cum plausu excipienda videntur; nisi temere & contra temperatiores critices leges fidem non ab hominibus solum, verum etiam a summis detrahere velimus. De Romano quodam Tonsore refert Plutarchus (*a*), ipsum in officina sua Romae multorum frequentia pervulgata Picam habere solitum, quae ut voce quidquid auscultare quotidie soleret aemulabatur, ita tubarum quarundam sonitum, & numerosum fragorem, quae fortuito secus eum locum personabant, fertur quandoque imitata. Qui pridie quam tubae accessissent Picam garrulam de more audierant, postridie non absque ingenti stupore obmutescentem, atque in insolitum quendam moerorem repente conversam animadverterunt. Hujusce eventus novitate factum est, ut quisque illam prae inaudito tubarum earundem strepitu obstupefactam ferme putaret: verum contra rem se habuisse exitus patefecit. Paucis quippe in silentio diebus continenter exactis cum majori

(a) *De Solert. Animal.*

jori audientium admiratione animal illud non vocem tantum, ſed & tubarum ſonitum repetere, nec non earum inflexiones, tonorum immutationes, reditus, pauſas, aliaque ad eos numeros pertinentia omnino exauditum eſt aemulari. Quamobrem nonniſi ſcite admodum argumentatur ita Plutarchus ibidem, Picam videlicet iis ſilentii diebus tantum imaginationem, memoriamque exercuiſſe ſuam, quoaduſque rerum praeteritarum cum praeſentibus facta collatione totam harmoniam ſemel perceptam aptis modulationibus repetere ſe poſſe bene ſenſiſſet.

§ 105. Ne quis vero arbitretur inſcite, Pſittacos omnes, & Picas, quae ſunt ad hominum loquelam inſtitutae, articulatam verborum rationem ideo proferre paſſim ſolere, quod unius conſuetudinis vi, & inanimi quadam naturae neceſſitate flectantur, quin pro earum voluntate variiſque affectibus revera urgeantur, opportunum fore proinde exiſtimamus, ut ea adeant lectores diligenterque expendant, quae de Brutorum phantaſia, memoria, de rerum perceptarum judicio, deque eorundem argumentatione erimus deinceps poſtremo Capite diſputaturi. Inde facillimum cuique profecto erit ſcite preſſeque arguere, eadem nempe & aequa omnino ratione Bruta omnia poſſe animi cogitantis & affecti vocibus aliiſque id genus argumentis germana ſigna portendere, quibus pro lubito & neceſſitate ſua uti ſolent Pſittaci, & Picae, & quaecumque alia animantium genera adhibent in articulata quavis ad hominum ſimilitudinem dictione, quae arte noſtra aliquo primum educatorum labore loquelam addiſcunt, atque in ſuam

ve-

veluti naturam deinde convertunt. Verum ex hiſce ex avium genere animantibus, quae articulatis ſermonibus ſe, & velle, & intelligere aperte teſtantur, ad alia nonnulla è volucrum ordine ſuo more loquentia Bruta tranſeamus, antequam Capiti huic finis imponatur extremus.

§ 206. Colluriones; quod vocem eorum ſpectat ingenioſam, ac venationis cupidam; ad rem noſtram praetermitti non debent. Horum etſi plura recenſeantur ab Ornithologis genera, illud tamen lubet heic uſurpare, cujus ſinguli pennis atro colore maculatis depinguntur, quos etiam Aelianus merulas appellat venaticas. Iſtiuſmodi Aves, quae natura rapaces ſunt ita, eodem teſte, vocem impendunt ſuam, ut ea nonniſi exſaturandae famis utantur neceſſitate, atque deſiderio. *Merulis affine quoddam genus eſt* (en ejus verba (a)) *venaticum & captioſum, colore atro, ſplendide canorum; recte ex eo venaticum appellatum, quod ex avibus ſui cantus permulſione ad ſe allicit & capit: cujus ingenitae ſibi praeſtantiae haec Avis non ignara eo munere, ad ſe voluptate & cibo explendam, uti videtur. Nam ex ſui cantus auditione, & belliſſimas oblectationes habet, & aucupio, & venatione proxime ad ſe accedentium avicularum exſaturatur. Quod ſi quiſpiam hanc captam in caveam incluſerit, non modo canere omittit, verum etiam, pro ſervitute ſua a venatore poenam ſilentio ſumens, muta permanet atque elinguis.* Nihil ſane eſt, quod animadverſionibus dignum noſtris addendum videatur, ſi quidquam Lectoris ingenio tribue-

re

(a) *De Animal. Lib. XI.*

re debeamus. Quare ex reliquis, quae adhuc ſuperſunt, avium paucis exemplis eòdem noſtrum ſpectare argumentum deinceps validiuſque nitamur.

§ 207. Noctuae vocem haud hic veluti ingenii indicem expendere volumus; tametſi commode hoc ipſum efficere, & ad unguem perducere poſſemus dubio procul; verum alia obiter hujuſce Avis ſigna ad rem proferre lubet, unde orationem ad eundem ſcopum perbelle referamus noſtram. Porro ipſae, ſive ſibi relictae, ſive cicuratae, & ad venationem comparatae ſpectentur; utpote vitae rapinis degendae a natura aſſuetae; geſticulatrices ſunt, ac variis proinde ridiculiſque motibus corpus totum, atque cervicem frequenter in orbem contorquent; nunc torvo & defixo obtutu homines & aviculas adſpiciunt, & ſalutationibus proſequuntur inclinatis; nunc demum capite huc illac acto ſcurras, & hiſtriones panthomimicè aemulari videntur. Profecto eò variis hiſce geſticulationibus non alia quidem ſpectant ipſe ratione, quam ut fami explendae, aut aliis animi affectibus facere valeant ſatis; quemadmodum ex Plinii (*a*), Ariſtotelis (*b*), Aeliani (*c*), Bellonii (*d*), aliorumque ſuffragiis praeclare ſuadere, ac ſermonem illuſtrare facile valeremus, niſi aliò pro inſtituta brevitate evocaremur.

§ 208. Nolumus conſulto Corvos hic inter loquaces aves recenſere, ut Pſittaci nuper ſunt a nobis oſtenſi,

(a) *Lib. X. cap.* 16.
(b) *Hiſt. Anim. Lib. VIII. cap.* 3.
(c) *Lib. XI. cap.* 74.
(d) *De Avibus Lib. II. cap.* 24.

ſtenſi, & alia quedam volatilia; quamquam praeſtantiorum Scriptorum ſuffragia minime deſideraremus, quae Corvis ipſis facile attribuunt ingenium, & imitandae hominum loquelae ſatis accommodatum (*a*): attamen eorundem vocem pro re noſtra magnifacere debemus, eamque hic uſurpari neceſſe eſt, quatenus animae in ipſis cogitantis luculentum apparet indicium. Aves porro hujuſmodi volucrium omnium maxime multos fundunt clangores, & vocum ſexagintaquatuor genera numerantur; quarum varietatem Porphyrius (*b*) in diverſos illorum affectus, quibus paſſim praeoccupari queunt, acute referendam eſſe decernit. Itaque ut Lucretius (*c*) innuit

Longe alias alio jaciunt in tempore voces
Et quum de victu certant praedaque repugnant.

Quum vero poſt nubila atque imbres coeli ſerenitas eſt adventura, quemadmodum Virgilius (*d*) habet,

Tum liquidas Corvi preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant .....,

Contra quum pluviae imminent, gravem ipſi ſubinde crocitum modulantur, & confuſum, ſtillarum imbrium inſtar, ſonitum edunt; vel ut inquit Plinius (*e*) *veluti ſingultiendo latrantes carptim vocem reſorbent:* quem inſuper latratum repetunt, ſi ventoſa forte immineat tem-

(a) *Vide Varron. de lingua Latina Lib. V.*, *Scaliger. Exercitat.* 237., *Macrobium Saturnal. Lib. II. Cap.* 4.

(b) *De abſtinen. Animal. Lib. III.*

(c) *De rer. Nat. Lib. IV.*

(d) *Georgicor. I.*

(e) *Lib. X. Cap.* 16.

tempeſtas; quippe illi hujuſmodi clangorum immutatione audientes velint commonefacere, ſe pro alternis atmoſphaerae viciſſitudinibus perinde affici, nec non ad eos urgeri clamores, quos ſemper raucedine, & ſtridore quodam aures caeteroqui offendentes, & acerrima aſperitate veluti radentes ipſa patiens, & philoſophorum, & vulgarium experientia teſtatur.

§ 209. Sed iſthaec tandem aliquando exempla hactenus enarrata, aliaque innumera relinquamus Brutorum, aut voluptate geſtientium, aut moerore, multiplici ſignorum copia, dolentium, atque in nervoſam ſermocinationis vim magis magiſque erigamur. Itaque belluae omnes ſpontaneis aguntur affectibus, quos earum anima vi atque imperio ſuo potens eſt excitare: earundem igitur anima bonis nequit praeſentibus eorumve opinione delectari; aut contra malis urgentibus angi, triſtari, ab iiſque vehementiſſime refugere; niſi voluptatis doloriſque ſtimulis exagitetur (§ 108.). Porro Brutorum ſigna univerſa; ut ex refractariis cuilibet vel magis pervicaci patefactum eſſe debet; vel animi aequabiliter, vel inordinate affecti totidem veluti indices eſſe videntur; quorum ea conſtantia apparet, ut (quemadmodum in hominibus firma ſenſationum oeconomia uſuvenire ſolet) haud ea quidem horribilia, & commiſeratione digna in iiſdem cernantur, quum aequabilis fluidorum ſolidorumque in ipſorum corporibus commotio efficitur, neque contra illa exhibentur ab iiſdem argumenta feſtivitatis, & laetitiae plena, quum animalis harmonia perturbetur, aut aliquis in ea dolor dominetur. Animantia igitur ſpontaneis motibus donata, quid-

quidquid oculis, pedibus, aurium erectione, vocibus, ſibilo, aliiſque velut totidem inſtrumentis indicant, id demum evidentiſſime innunt, quod nobis perinde affectibus variis, corporiſque immutationibus praeoccupatis ſolet evenire, quum iiſdem aut pene ſimillimis utimur argumentis (§ 116.). Qua ergo ratione ſtimuli in nobis vigent; & quidem vehementiores aliquando; quibus nunc voluptatem libentiſſime comprehenſam, nunc dolorificos affectus invito animo nos ferre pateſacimus; eadem profecto Bruta omnia pro re nata, juxta germanam animae ſenſationem aut delectabilia, aut injucunda experiri tot ſuis teſtantur ſignis, quae hactenus magno exemplorum apparatu retulimus. Scilicet Phiſiologia omnis ejuſque leges id habent cum hominibus belluiſque commune, ut partium organicarum diſpoſitiones, ac vires ſimul in illis acres maximeque operantes utriſque viventibus abſoluta pene analogia congruant (§ 131. § 132. § 133.). Pecudum praeterea corporeae machinae, ut pene iiſdem aut ſimilibus morbis obnoxiae comperiuntur, ita contra eorum ſoſpitas ab iis pendet ſingulis aequabilis ſanitatis momentis viribuſque ferme comparibus, unde hominum vigor & vitae conſtantia definitur (§ 135.). In ſingulis autem animantibus a duplici irritabilitatis ac ſenſibilitatis facultate excitantur, & vigent motus non ii ſolum, qui vulgo neceſſarii dicuntur, & ab immutabili vitae animalis ordine prodeunt, verum etiam ſpontaneae quae paſſim vocantur operationes earundem virium miniſterio ita peraguntur, ut anima voluntatis affectibus careret omnino, niſi utriſque adjutoribus in amorem, ſpem, odium

atque

atque timorem vehementer impellerentur (§ 143.) Taurorum igitur mugitus, quum in juvencas libidine furunt atque exardescunt, & quaecumque praeterea ipsi animi cogitantis acriterque affecti patefaciant eo tempore argumenta (§ 194.), spontanei quidem motus sunt, & ab animae sentientis profecti imperio; quos tamen sensibilitatis atque irritabilitatis stimulis accedentibus effici nemo ex physices cultoribus poterit inficiari. Feles insuper, quo tempore in venerem pronae sunt, & de acquirenda foemina magnopere contendunt, tanta suarum vocum varietate eo se ferri declarant, quo tendere natura poscente exstimulantur (§ 195.). Tauri igitur atque feles amoris vim sentiunt, quam tot tantisque indiciis manifestant: in quo certe amore plura concurrunt atque immiscentur, quae a diversis irritabilitatis, & sensibilitatis viribus atque conatibus efficiuntur. Etenim cum Veneris desiderio timores, atque iracundiae efferatae conjunguntur: cum incolumitatis aut libertatis servandae cupiditate mestitiae nectuntur atque furores, quorum latissime discrepantium affectuum operatione in organa Brutorum ad diversa penitus signa permoventur ostendenda. Quantae & quam late dispares organorum eae sint immutationes, quae ab hisce variis animi pathematibus ortum habent; unde infinita propemodum petenda est indiciorum eorundem discrepantia; satis pro brevitate diximus alibi (§ 157.): quamobrem difficile modo explicatu haudquaquam videri profecto debet quid oves, agni, haedi, hirci sibi velint, quum balantes auscultantur si nutantes incerti, atque a reliquo grege huc illac disjuncti forte vagentur

tur (§ 196.). Facili perinde negocio cauſſa ex dictis in promptu eſſe videtur, cur canes, venatici potiſſimum, tam mira & tam multa proferant affectuum ſuorum teſtimonia, quemadmodum ſuperius innuimus(§ 197.); neque item minori perſpicuitatis momento intelligi explicarique a philoſopho poterit, cur Elephantes nocturno tempore barritu, & gemitibus ſuam ſerviendi conditionem deplorent (§ 198.). Quae quidem demonſtrata hactenus celeri nimium calamo majorem ſibi lucem ad eorundem ſignorum ſpontaneitatem adſtruendam ſibi conciliare valent, quamprimum ea huc opportune advocentur, de quibus paulo ante (§ 200.) fermocinabamur. Si non quadrupedia tantum Bruta, verum etiam volatilia permulta iiſdem ut homines corripiuntur affectibus, eorumque actiones voce articulata aliiſque ſignis aemulantur; quemadmodum Pſittaci, Picae, & Colluriones eſſe nuper propoſuimus (§ 202. § 203. § 204. § 205. § 206.), ab iiſdem affectuum principiis ita pendere debent perinde, ut nullum aut pene nullum inter utrumque viventium genus intercedat diſcrimen. Porro aeris ratio, quo homines & belluae ſimul aluntur & vivunt, morboſis everſarum ſenſationum cauſſis debet adcenſeri (§ 159.). Cum caeteris praeterea morborum & affectuum quorundam principiis copulari jure debet magna illa plus aequo ſanguinis humorumque circulantium copia, a qua premuntur ſaepe animantium vaſa violenterque cum moleſtia diſtenduntur (§ 160.). Reliqua deinde ſilentio praeterimus tum *nonnaturalia* aegritudinum tum *praeternaturalia* principia, de quibus ſeorſim ac ſingillatim egimus Capite praecedenti (§ 161. § 162.

§ 162. § 163. § 164.) pro rerum tractandarum necessitate. Ista porro, quae animae cum corporis aegritudine molestum constanter sensum conciliant, naturae legibus, & ipsa ab animantibus quibuscumque efflagitant, & suo quodammodo sibi vendicant jure, ut peculiaria a belluis doloris & perperam affecti animi notas quasdam patefaciant: quae quidem quum firmissimo oeconomiae animalis ordine contingere debeant, ab aliis contra principiis proficisci ea necesse est argumenta, quae ut cuiquam pervia sunt, nonnisi laetitiae & jucundi sensus censeri in ipsis belluis solent argumenta. Eorum vero Brutorum, quae ab ejusmodi principiis perperam affecta redduntur, animadvertenda sunt signa, quae quidem, pro varia suorum affectuum ratione, penitus immutantur. Etenim qui prius bene valentes & alacres in sublime attollebantur, praedamque unguibus effaerati atque exultantes coarctabant Accipitres & Falcones, omnem deinde sanitatis speciem dimittunt, & tremere, & alas relinquere pendulas, & caput deorsum languens ferre incipiunt, quamprimum febribus corripiantur (§ 167.). Horum autem vel similium indiciorum vicissitudo in caeteris animantium generibus spectari liquido potest, quum ipsa aliis quampluribus affectibus & corporis vitiis laborare alibi ostendimus (§ 168. § 172. § 173. § 174. § 175.), quorum hic supervacanea esset prorsus & molesta lectoribus repetitio.

§ 210. Itaque, ut orationem colligamus, quemadmodum ex multiplici morborum vi illud longiori veritatum nexu inferebamus, germanam in belluis reipsa

fieri ſenſationem (§ 179. § 180. § 181. § 183. § 184. § 185. § 186.), ita ab earundem externis argumentis illud ipſum a nobis colligendum fore omni jure exiſtimamus, quin majori inpraeſens ſermonis prolixitate legentium perſpicaci ingenio incommodemus. Quamobrem aequiſſimo hujuſmodi conſilio conſentaneum profecto fore putamus, ut ſupremum tandem aliquando Commentariorum noſtrorum Caput aggrediamur.

CA-

CAPUT VI.*

Brutorum phantasia, memoria, de rebus perceptis judicium, & argumentatio eandem conficiunt demonstrationem, quae omnem Commentariorum rationem absolvit.

Upererat demum ad omnigenam in hocce nostro argumenti genere materiam non concinne minus, quam presse digerendam, ut extremam huc operam accuratissime conferremus; scilicet ex belluarum operationibus, quae unius mentis propriae esse dicuntur, earum genuinus adstrueretur spiritus; eademque cum hominibus compares propterea omni praedicarentur jure ab iis saltem philosophis, qui non nomine tenus salutari existimarique patiuntur, sed altioribus initiati germanae sapientiae mysteriis difficilia multa prae-

praeclariſſimae rationis ductu perveſtigare contendunt. Caeteros autem pleroſque homines Commentariorum noſtrorum ideo negligimus habere laudatores, quod publicae vel domeſticae rei procuratione diſtenti, vel aliis impliciti curis, aut ingenii tarditate craſſaque minerva impediti, aut molli demum otioſaque ſegnitie diffluentes liberales diſciplinas, quibus iſta continentur, ne ſummis quidem labiis attigerunt; ex quo fit, ut neque ſatis tam ſubtiliter inveſtigata percipiant, aut ſi forte haec a philoſophis audiant, optimorum quoque copia verborum explicata, vel ſtupidi haereant, vel temere perhorreſcant, horumque Auctores de haereſis veluti crimine ad tribunal etiam accuſare conentur.

§ 212. Iam ergo id genus hominibus a diſputatione noſtra remotis ad rem propoſitam convertamur. Enimvero, ſi ut animis, ita oculis totam ſimul internorum ſenſuum in Brutis oeconomiam intueri poſſemus, nulla eſſet profecto inſatiabilior ſpecies, nulla pulchrior adſpectu, ut nulla eſt ad rationem, ordinem, ſollertiam, celeritatem, aciemque praeſtantior. Nulla propterea eſt dicendi tanta vis tantaque copia, ut ſatis eorum phantaſiae vividam uberemque poteſtatem, memoriae vim firmitatemque, & rectum in judiciis robur eouſque exprimat, quouſque iners pene, & manca habita hactenus eſt philoſophorum eloquentia, qui pro iiſdem in homine ſenſibus explanandis tantopere laborarunt, quin illud feliciter praeſtiterint, quod rerum tractandarum difficultati apprime reſponderet.

§ 213. Attamen quo minus ab inſcitia ſejungamur, & quae de hominum viribus traduntur litteris aeque bel-

belluarum hujuſmodi ſenſibus accommodata proferamus, dicendum principio eſt, eam, quae in nobis eſt, imaginandi virtutem, cujus ad priſtina animo repetenda ac veluti pingenda dominatur late libertas, eaſdem ferme efficere mutationes, quae primo factae fuerunt quum mens ſenſoriorum vehiculo rerum hauſit cognitiones, eorumque diſcrimina intimo ſenſu comparavit. In ipſis ergo animantibus vel quae magis deſpiciuntur, tantam eſſe conjicere poſſumus phantaſiae ejuſmodi amplitudinem quantae capax eorum quodcumque patet ad ea omnia percipienda, quae exterorum objectorum in organa appulſu menti repraeſentari contingunt.

§ 214. Itaque pro ejuſdem phantaſiae conſtitutione rerumque perceptarum judicio varia, ut omnibus philoſophis in confeſſo eſt, in animantibus conſequuntur ea, quae animi pathemata dici vulgo ſolent, quorum pene omnium, quanta in homine ſaepe dominantur, Bruta perinde totidem adoriuntur, quemadmodum tum ſuperioribus exemplis (§ 99. § 100. § 105. § 106.) compertum apparuit, tum afferendis etiam in poſterum res erit in perſpicua veritatis luce futura. Ipſa autem pathemata ab eorum cupiditate potiſſimum petuntur, quae tanquam optima ſibique apprime conſentanea fore animantia perſentiunt; cum quibus item ita perceptis, ac concupitis ea ſimul mente, & imaginatione copulantur, quae iis adverſa atque nocitura concipiuntur. Quare animal omne, quod bene imaginandi vi polleat, niſi prudenti ratione ſeipſum regere noverit tribus ſupremis affectuum ſuorum principiis; unde caetera omnia dimanant animi pathemata; cupiditate nimirum ira,

atque

atque timore, exagitetur neceſſe eſt. Tametſi vero non aequa omnino homines inter, & Bruta interna vigeat divexatio, neque tantum haec alternis agantur motibus, quantum generis humani conditio quodammodo efflagitat; cujus eſt aſſiduus in majora conatus, eadem nihilominus & belluas vehementer percellit; quemadmodum erimus alibi diſputaturi; adeoque pleriſque, & ipſae laborant incommodis, quorum eſt nobiſcum communis conſenſus.

§ 215. Cum imaginationis in animantibus facultate memoria item bonorum malorumque particeps & ſocia eſſe quidem cognoſcitur. Ea nempe ita rerum praeteritarum ad animam vehiculo eſt, ut quae delectabilia olim fuere iterum concupiſcere faciat, quae vero noxia atque infenſa contigere exhorreſcere, & odiſſe ſuadeat. Quandoquidem hoc ſolum differre a phantaſia memoriam omnes doceant philoſophi; quod illa rerum perceptarum imagines in ſe recipiat, eaſque ſemel ingeſtas ſervet, & pro re nata menti celeriter objiciat, haec vero ita praeterita verſet animo, ut eadem aliquando percepiſſe perſpicue cognoſcat; caeterum ad excitandos animi affectus perinde eſſe facillime quiſquis exiſtimat ſive ab imaginatione fluant, ſive a reminiſcentia notiones.

§ 216. Ut iſta ergo cum Belluarum operationibus concilientur neceſſe cumprimis haudquaquam fore ducimus recentia proferre ex iiſdem monumenta praeter ea, quae alibi nec jejune nec obiter omnino illuſtriora exhibuiſſe non ignoramus, qui de equis, elephantibus, deque ſuibus agebamus (§ 99. § 100. § 105.): illa quip-

quippe satis superque ad arguendum materiae suppeditant; qua insuper ad alia animantium genera facili non minus quam aequa analogia quisque referatur. Quamobrem equorum quisquis contempletur attentissime disciplinam, & quomodo mirum in modum tantopere se se exerceant, non id quidem praesentium objectorum impulsu totum fieri poterit existimare, sed earum in cerebro idearum celeri repetitione confici, quae primo sunt insculpta, quum magistri sensibili & sepe objecta institutione edocebantur. Nisi ergo ipsis magna virtus inesset, quae praeteritorum schemata recuderet, quae eadem inter se conferret, quaeque ad agendum ordinate hisce animantibus stimulos admoveret quodammodo, inanis omnino fuisset priorum notionum ab iis facta comparatio nec quidquam proficerent; quemadmodum evanida perinde diceretur quaecumque pro hominibus ad omnem eruditionem informatio, nisi phantasia atque memoria supremis adjutoribus atque ministris, veteribus nova succederent, hisque alia deinde, atque ab extremis ad prima adscensum, nexum, omnemque scientiarum ordinem praeclare, & distincte pro eorum voluntate possent intelligere.

§ 217. Ex iisdem, unde tota animantium dimanat eruditio multiplex quoque profecta jure dicitur pathematum ratio, quibus voluntas in tot flecti transformarique solet quot occurrere iisdem possunt appetendorum fugiendorumque rationes. Hinc ergo pervium magis efficitur cur Elephantes ipsi ea, Sues & Cervi etiam ex quadrupedibus (§ 99. § 100. § 105.) tum Halcyones, Columbae, ac Grues ex avium genere (§ 103. § 105.)

amo-

amore ut in ſuos ita in homines efferveſcant: neque minus propterea incongruum videri certe debet quidquid de Accipitris magnanimitate, Falconis generoſitate, deque ſtrenua Gallorum fortitudine ex probatiſſimis Auctoribus allatum ſuperius eſt (§ 106.). Ipſa etiam animantia, atque ex vario genere alia plura, ira aeque ac amore furere, & excandeſcere viſa a nobis magno exemplorum Scriptorumque apparatu fuere (§ 99. § 100. § 105. § 106. § 107.) quorum affectuum alterna, & frequens viciſſitudo non aliunde proficiſci habenda merito eſt, quam a rerum perceptarum varietate, quae Bruta in amorem, nunc in formidinem, modo vero in iracundiam alioſque affectus impellant.

§ 218. De Belluarum judicio deinde ſi quaeratur a nobis aliquid, quod eaſdem ſpiritales eſſe confirmet, ut in hujuſce Capitis limine pollicebamur, rem quidem in ancipiti ſtatu haudquaquam verſari poſſe ſtatim pervidemus, quamprimum haec mox ſcribenda cum rebus huc uſque elucubratis conferamus. Omnia itaque & ſingula a Brutorum geſtis petita, quae ſincerum reipſa mentis judicium ſuadere videntur; cujuſmodi illa quidem fuere, quorum ſaepe habita hiſtoria eſt; nihil ad ambigendum per ſe ſe conferunt, ſi ſemel comperta probe fuerit in ipſis germana ſentiendi intelligendique poteſtas, & caetera omnia ſi demonſtrata fateamur inſuper, quae acriter, ut putamus, expenſa ſuperius fuere. Nulla igitur rei propoſitae ratio apparet conſentanea magis, & quae concinnius cum illis conſona cenſeantur, quam ea nunc pro animantium ſpiritu huc accer-

cerſenda curare, in quibus ad veritatem rite informati docileſque philoſophi, & cavilloſi ſimul convenire leguntur, quum pro reformando hominum ingenio leges & ſcita ſcriptis conſignant.

§ 219. Verum moneamus oportet, ea modo a reliquis mox dicendis exceptione digna a nobis haberi, quae judicium omne ſpectant verbis quomodolibet enunciatum; quemadmodum agere homines perpetuo conſueverunt, quum vario linguarum praeſidio animi ſenſus invicem pandunt; quippe animantia, etſi aliquo loquelae uſu & ope non careant; ut ſuperiori Capite viſum perſpicue fuit; ipſis tamen ſingula nequeunt praecepta accommodari; quae paſſim Logici docent, qui hominum dumtaxat mentem ſibi inſtituendam ad philoſophiam proponunt.

§ 220. Caeterum judicium animi actus ille cenſetur, quo, pluribus rerum notionibus ſimul comparatis, unum de alio animal quodcumque cogitans vel affirmare, vel negare deliberat; ſive etiam uſuvenire ſolet, ut iiſdem collatis unum, contrariis inter ſe affectibus, vel amplectatur, vel reſpuere conetur: quod quidem, ut Brutis omnibus convenire propediem monſtrabimus, ita ut ordinate perficiatur tria potiſſimum efflagitari docentur: opus ſcilicet primo eſt, ut duarum ſaltem idearum, ut ajunt, conſcium ſit animal ipſum; ut illi nimirum innoteſcat tum id, de quo aliud vult affirmare vel negare, tum id ſimul, quod illi affirmando conjungit, vel negando cogitat removere: neceſſe ſecundo eſt mutua duarum ipſarum idearum comparatio; quae nonniſi pondere earum utrinque cognito

men-

menti relucet: requiſitum poſtremo eſt, ut earundem notionum relatio ita comperta fiat, ut luculenter funditusque animo videatur quanam ratione unum ſe habeat ad alterum; quod quidem acrioris eſt ingenii, & in quo ſuprema decernentis, & ſingulari laude philoſophantis ſita vis eſt, & rara praeſtantia.

§ 221. Ne ergo omnia, quae ſunt innumera, belluarum ex ſingulis earum generibus vera judicia conſectemur hoc loco, jam brevi tum ſuperiora illa complectemur exempla, eaque acri expendemus animadverſione, tum pauca quaedam ex obviis aliquorum Brutorum factis, quae nobiſcum frequentiſſime verſantur, petita colligemus. Quamquam equidem puto, neminem futurum; niſi forte contradicendi magis ille ſit, quam veri inveniendi cupidus; quominus libenter concederet, nihil eorum cunctis animantibus non judicii ſolum deeſſe, verum etiam reliquarum mentis functionum, quibus homines a rebus ſenſu & cognitione carentibus diſcerni jure dicuntur. Poſſunt quidem ab acutis Viris plura ſophiſmata excogitari, atque ineptiſſima quaedam abſolutae huc uſque argumentationi dicacite potius opponi, quam firma invictaque oratione: at qui ingenio valent, atque ſollertia, iidem facile vident, ea ſophiſmata, ſi non ab omnibus ſolvi valeant, ab omnibus certe rejici, & contemni debere. Statim namque manifeſta ſuggerit experientia, Canes. nimirum eundem ſepe reſpuere cibum ſolere, ſi ab incognito exhibeatur aliquo, in quo dolum forte ſuſpicentur, quem tamen alacres ac geſtientes arripiant, ſi ab amici vel domeſtici cujuſpiam manibus

nibus praebeatur: eorundem preterea animantium plures tanta patent ſagacitate a natura donati, ut non furtivos domorum homunciones ſolum a familiaribus magnis diſcriminis argumentis internoſcant, verum etiam egenos ipſos pannoſos a divitibus & nitido veſtimentorum ornatu inſtructis, viſu ne an olfactu dicamus, perfectiſſime diſcernant; ideoque ipſi, quamprimum utrique heri foribus accedant, aut hiſce blandiuntur, aut in illos latratu & furore etiam vehementiſſimo inſiliunt. Sues inſuper, quos alibi commemoravimus (§ 100.) eas optime intelligunt voces hominum, a quibus quotidie in paſcua compelluntur, iiſdemque attentiſſimis auribus parent, ſi illorum ſint, cum quibus per arva monteſque vagantur; caeterum quas ignotas auſcultant teſtacea buccina editas ſive articulatas haudquaquam ſequuntur. Corvi item in cibis deligendis ita ſe temperare dicuntur, ut nonnullos devorent avidiſſime alios vero continuo reſpuant, quos faetidos ſemel perſenſerint (§ 102.). Ampliora prodere certe poſſemus, quae Brutorum aliorum cumulatiſſimam hac de re hiſtoriam conflarent, niſi rem per ſe ſe perſpicuam, congeſtis veluti eorum factis, obſcurare, ut ſaepe uſuvenire adſolet, vereremur. Itaque ſermocinationem abſolvamus. Quae igitur in commemoratis animantibus judicia laudavimus plurium notionum praeſentiam eorum animo objectam expetebant, ut earum una cum alia vel pluribus collata diſcrepantiam vel ſimilitudinem agnoſcerent, atque inde pro judiciorum varietate diverſis affectuum motibus agerentur. Verum a re qualibet Brutis objecta, quae ipſis praeſens

ſens eſt, unam nonniſi ejus notionem ſenſoriorum exterorum auxilio valent certe comparare; reliquae igitur notiones, quae ad cudendum de omnibus judicium illis poſſunt tuto opitulari ab aliarum rerum notionibus peti debent, quae plerumque remotiſſimae etiam quum ſint, eaedem profecto a phantaſiae, & memoriae ſubſidio atque poteſtate proficiſcuntur dubio procul, & belluis pro eorum lubito & neceſſitate preſto ſunt.

§ 222. Hiſce itaque exactis, quae ſincerum animae belluarum judicium patefaciunt, minus profecto operoſum fore arbitramur poſtremam illam mentis operationem legentibus exhibere, & Brutis etiam, quin haereamus vel hilum, attribuere, quam Ratiocinationem Dialectici vocant. Quae hujus ſit indoles, quod officium praeclariſſimis Tullii (*a*), & Quintiliani (*b*) monitis eos ignorare non decet, qui de rebus philoſophicis diſputare contendunt, & aliquam gloriae mercedem a doctis Viris propterea aſſequi poſſe non dubitant. Ea videlicet conantur homines, ut ab exploratis rebus ad obſcura detegenda gradiantur; quod quidem proſpere obtinent, ſi ſibi ordinate conſtent, & leges aliquot non pretermittant, ad quas a natura potius, quam ab artis alicuius imperiis inſtituti eſſe reperiuntur. In omni itaque re dubia, quae liquidis duabus ſaltem diſtinctiſque notionibus conſtare debet nodum ſolvere, & certam ejus aſſequi notitiam cuique fas eſt, ſi tertia, ut docent, aliqua idea in ſubſidium adſciſcatur, quae cum duabus ipſis comparata rei definiendae lucem quodam-

(a) *QQ. Acad. Lib. IV. Cap. VIII.*
(b) *Inſtitut. Orator Lib. V. Cap. X.*

dammodo praeferat, & rectum ad veritatem iter mentis oſtendat. Haec brevi ſtylo innuiſſe duximus neceſſarium, antequam Brutorum argumentatio ab eorum geſtis petita invictiſſime vindicaretur.

§ 223. A Mulorum aſtu & ſolertia, atque ab eo potiſſimum exemplo, quod alibi ex Plutarchi hiſtoria attigimus (§ 97.) appoſite diſputandi materiam poſſumus facile mutuari. Scilicet ab eo mulo querebatur qua via & ratione adſportandi ſalis pondere & negocio ſemet liberaret: dorſi itaque levamen, cujus deſiderio tenebatur, & ſarcinae impoſitae privatio, binae erant in ejus animantis conceptae ideae quae alteram, ut proſpere conficeretur argumentatio, efflagitabant, notionem; cujus luce cum iiſdem collatio fieret, & neceſſarius nexus monſtraretur. Salis igitur per aquam colliquatio forte ab eo oneris exuendi perdendique ratio comperta eſt, quae cum levaminis cupiditate, & ſarcinae ejuſdem privatione perbelle nectebatur. Hac ergo comparata ab experientia recenti cognitione, Mulus iſte continuo hujuſmodi ſyllogiſmum confecit „ Ni„ ſi a dorſo gravamen, quo premor, auferatur, leva„ minis deſiderium explere nullatenus valeo: atqui ſar„ cina exinanitur pene omnis, quoties in fluminis me„ dio me peritus mergam, & paulatim deinde ſurgam: „ Ergo, ut mihi pro voto faciam ſatis, nonniſi hac in„ duſtria agendum mihi deinceps eſt, qua pondus omne „ perdatur „ Quod hic obiter in Mulum animadvertimus, ejuſque argumentationis vim eruit, vix dicendo exhibere poſſumus quanta facilitate a Lectore acuto & ingenioſo reliquis etiam Brutis omnibus debeat accommo-

modari, quamprimum ſingulas eorum actiones velit non colligere ſolum, verum etiam analyſis primum ope ſolvere, & ſyntheſis deinde cura componere. Iejunum propterea, frigidum, & ingratum eſſet opus, ſi a nobis omnia & ſingula Brutorum exempla, quorum Capite tertio multa habita mentio eſt, in ſyllogiſmorom ſchaemata redigerentur, qui ad potiora pertractanda in praeſens evocamur, & pedagogico more Commentaria noſtra infercire merito prohibemur.

§. 224. Iam illa, quae in belluis omnibus mentis functiones oſtendunt ſatis pro brevitate, ut arbitramur, complexi fuimus. Verum, antequam pro hiſce Commentariis extrema vela contrahantur, neceſſum fore pervidemus nonnulla legentium oculis atque animadverſionibus ex induſtria proponere, quae objici ab indoctionibus poſſunt, atque argumentis ab invidia ductis plura inferri, quae pleriſque ut adſolet ineruditis impoſita non parum exiſtimationi noſtrae fortaſſe incommodarent. Arguere autem potiſſimum valerent, atque in ſpeciem non modo graviter & copioſe dicta, ſed etiam acute inventa, & ſubtiliter diſputata viderentur, quae mox hac ratione conſulto a nobis exhibentur.

§. 225. Si Bruta paris quidem ex dictis cum hominum indole naturae atque ingenii teneantur, aut omnia labuntur greviſſima maximique momenti, quae pro Republica & Relligione ſancta tectaque tuenda doceri ſaepe ſolent, aut Bruta decretis quibuſdam legibus ſubdantur neceſſe eſt, quae nonniſi a conſtituto probeque comperto ſpiritalium operationum principio proficiſcuntur omni quidem dubitatione remota. Scilicet ab homi-

minum ſpiritali prorſus ingenio, quo tum verum adſequuntur ipſi, tum de eodem ſemel percepto libera facultate deliberant, ſupremi colendi Numinis, nec non legum divinarum humanarumque neceſſitas adſtrui a Metaphyſicis ſolet; quae hactenus nonniſi uni hominum generi fuit a ſapientibus propoſita, eidemque perinde uni conſentanea eſt attributa. Aut igitur nonniſi per inſcitiam conſultum huc uſque humano generi eſt ab iis, quorum in eo regendo ſuprema fuit poteſtas, & a quibus aliud animantium Brutorum latiſſimum aeque genus ab eadem neceſſitate haud eſſe excipiendum ignorari maxime dedecebat; aut ſi Bruta ipſa ab utroque legum praeſcripto ſecreta ab iis ex induſtria dicantur; etiamſi aequo cognitionis ac voluntatis munere gaudere reipſa crederentur; haud immerito homines quaeri jam poſſent, ſe nimirum tam arctis vinculis fuiſſe pro lubito religatos, quantum liberrima eſt quidpiam agendi belluarum poteſtas, quae ſibimet relictae prorſus ubique cernuntur, quin ullo valeant imperio legitime coerceri.

§ 226. Sed qui nobis haec objiciant, ex eorum erunt fortaſſe numero, qui de rebus ad haec liberaliſſima ſtudia pertinentibus judicare non poſſunt. Etenim quotquot ſunt in metaphyſicis diſputationibus diu multumque verſati, aut proponere iſthaec non audent, quae ſatis probabilem difficultatem neutiquam continere videntur; aut ſi forte objectis reſpondere pro inſtituto cogantur, hoc ideo efficiunt magno doctrinae apparatu, ut oſtendant multo magis quam firmis rationum ponderibus veritas ipſa conſiſteret, & quam pudendum eſſet

adverſariis illa proferre, quae vix tyronibus vel hebetioribus digna cenſerentur. Quamobrem nobis inpraeſens fas ſit a propoſito digredi multo magis, qui objectam difficultatem non multum parvipendere ipſa ejus expoſitione ſiverimus.

§ 227. Itaque ad cohibendam morum pene incredibilem foeditatem, neve humanum genus, ſuapte natura in omnem vitiorum colluviem caeteroquin proclive, ſi ipſum ſibi relinqueretur, certiſſimo labendi diſcrimini ſe ſe ſaepe committeret, veneranda legum auctoritas invecta principio eſt, quum homines in vitae ſocietatem coire caeperunt, quibus horum incertae nutanteſque operationes in tutiſſimo continerentur officio. Ipſi nimirum Rerumpublicarum, & Principum ſanctionibus ſemet ultro ſubdidere, quo non publica ſolum, ſed & privata quies tuto ſervaretur, atque omnis actionum humanarum honeſtas juxta rationalium naturam longe lateque vigeret. Hic locus quantum ad ſcribendum pateat, facile quiſque videt: non eſt tamen, cur in eo diutius immoremur, ſi Lectoris ingenio quidquam tribuere velimus. At quorſum haec? Scilicet; ut multa praetereamus; hominum genus in omnia ſcelera effuſum, publica cervicibus ſuis impoſita poteſtate, quam dies noctesque formidaret, cui obſequi in ſuae etiam nativae libertatis perniciem curaret, quae efferatam refraenaret licentiam, quae demum legibus ſapientiſſimis ſimulque ſeveriſſimis, totidem veluti loris, ſuperbientes depravatae indolis motus coerceret, atque ad omnem honeſtatem informaret, volens libenſque ſuprema legum adminiſtratione ſtatuit gubernari

po-

potius, quam perpetuo ſuorum ferociae ſemet exponere diſcrimini, ſi exleges vivere diu homines ſibi relicti aliquando ſinerentur. In quo rectiſſimo quidem conſilio, tametſi plura agnoſcerentur ſibi poſteriſque commoda, multo tamen majora graviſſimaque detrimenta cernebantur, quae effraenibus voluptatibus, quae nimiae acquirendi cupiditati, quae explendae iracundiae & libidini adverſabantur. Accedebant praeterea innumera paenarum genera legum civilium violatoribus propoſita, a bonis vituperatio, a lictoribus perſequutio, nec minus alia pene innumera, quae eos ſaepe noſtris etiam temporibus comitari videmus, qui utilitati ſuae ac lubito legum earundem obſervantiam per nefas omne cenſent poſthabendam. Quis autem ignoret, aut quis non potius intimo ſenſu incredibilem difficultatem experiatur animique conflictum, quamprimum iis obtemperare cogantur edictis, quae, ſi non honeſtati repugnent, ſuaemet tamen voluntati vim faciunt? Cujus non continuo complebitur animus maerore, formidine rerumque implendarum arduitate, qui ſive publicas colat ſanctiones, ſive ipſe peſſundet? Nihil hic de divinis inſtitutionibus, neque minus de chriſtianis juſſionibus dicam: quippe non, ut hominibus Regum temporalium ſubditis uſuvenire ſolet, exterior ſolum legum cultus inquiritur, ſed is ſane, qui ab inviſibili Legislatore vindicatur ſincerus, caſtus, numeriſque omnibus abſolutus; cujus etiam ſi totum, vel pars deficiat aliqua, tranſgreſſores nonniſi ſempiterna paena puniuntur. Quae quantaque fuerit a conditis legibus, & a cohibita hominum libertate in animi pathemata vis,

facile intelligi ex superioribus posse videmus: inde tamen magnum putamus causae nostrae praesidium fore petendum, qui modo definitam Brutorum libertatem perinde aggredimur explanare, atque ad hujusce Capitis propositum probe referre.

§ 228. Itaque belluae omnes, etsi publicae Legum auctoritati sint haudquaquam obnoxiae, neque infra politicum Rerumpublicarum Corpus, ut homines, contineri censeantur; quamvis ad ealdem Naturalis, aut etiam Revelatae Relligionis praecepta vel minimum pertinere non constet, quibus in officio earum voluntas arctissimo comprimatur, plurima occurrunt tamen, quibus tantum earum mens torqueri saepe solet, quantum cohiberi & angi homines possunt, qui legitimae Regum majestati obtemperare planeque morem gerere praecipiuntur. Non eas autem hic belluas complectimur, quae venatorum insidias quum semper evaserint, & ab hominum conspectu atque consortio vitam sylvestrium ferarum more transegerint, illud perpetuo, pro liberrimo earum lubito, consectari, & appetere, seu contra ab eo vehementissime refugere consueverunt, quod vel nativae illarum voluptati respondere apprime sentiebant, vel huic eidem adversa ratione vim irrogare intima veluti conscientia judicabant; illas tamen intelligimus, atque in disputationis hujusce argumentum heic usurpamus, quae in hominum potestatem quoquomodo redactae in alteram propemodum naturam educationis ope, atque asperrimae violentaeque cujusdam disciplinae praesidio transformatae videntur etiamnum; non sine maxima item educatorum admira-

miratione. Hiſce itaque Brutis terrores objiciuntur, & leges, aut etiam delectabilia quandoque praemia monſtrantur, quibus utriſque ipſa vel a ferina voluntate revocemus, vel delinita in aliorum imperia pertrahamus. Nihil porro eſt, quod, tametſi arduum & operoſum magnopere iiſdem per ſe ſe ſit, non eorundem ingenio accommodari demum videamus, atque a feritate in manſuetudinem pene incredibilem, hujuſmodi adhibita legislatione & diſciplina non tranſeat. Legum earundem praeſcripto equi videlicet a primigenia naturae ſuperbia ita gubernari moverique ſenſim aſſueſcunt, ut non ferocientem modo virium ſuarum impetum non amplius praeſeferant, verum etiam quacumque flecti facile ſe ſinant, & ſaltandi perinde artem ad equitis nutum apprime calleant, ſi perito domitori inſtituendi tradantur.

§ 229. Quis praetera eorum poteſt ignorare, qui rerum naturalium magnam ſe eruditionem poſſidere profitentur, quantum Simiarum, & Cercopithecorum differat conditio, & quam diſpares horum animantium mores ſint, quo loco in ſylvis naſcuntur, & ferarum libertate vivunt, ab iiſdem, qui aliquando capti hominum legibus illico obtemperare compelluntur? Illi namque a Scriptoribus nativa calliditate ſemper abuſi deſcribuntur ut rapinis, caedibus, & voluptatibus indulgeant ſuis, atque ea demum cuncta perſequi curent, quae libertati penitus ſervandae quoquomodo inſervire poſſe pervident; contra vero ita ab incommodis, & ab ipſa potiſſimum captivitate abhorrent, ut multa ingenioſis conentur viribus, qua vel hominum mancipia

non

non fiant, vel semel vincti nexibus, eorumque tyrannide quam citius solvantur; hi autem, quamprimum minas, verbera, inediam experti quandoque fuerint, praeceptorum imperiis tam bene subiiciuntur, ut nihil pene sit ex moribus, & actionibus hominum vel maxime arduum atque periculosum, quod ab ipsis aequa sedulitate & imitatione, veluti ad eorundem naturam accommodatissimum, non efficiatur. Nempe ad omnigenam saltandi disciplinam institutionibus, & fustibus simul comparantur, numerose choreas agunt, equitandi, habenas regendi, & canes, quibus plerumque insident, quocumque convertendi artem addiscunt, atque omnes (ut multo plura silentio praetereamus) ad gymnastices exercitium canones firma adeo servant mirum in modum memoria, ut non ita exacte tantundem absolvendum expectari ab iis vel juvenibus, vel adolescentibus forte valeret, qui in Ephebiis, sive in publicis urbium celebriorum Gymnasiis ad singulas equestres quotidie institui artes solent; quibus caeteroquin nec liberalius deest magisterium, neque praeclarior ad ea perdiscenda persuasio. De rebus ab obvia experientia petitis sermonem ducimus, neque proinde legentium fidem quum fallere ulla ratione queamus, alteram continuo animadversionem proferre hoc loco tempestive monemur. Ursi scilicet omnes sunt nobis ad scribendum aeque propositi, quorum tam agrestis, ferox, corpulenta, & ad omnem operationem impar videtur esse natura, ut arte hominum, & legibus coerceri non possint: ipsi nihilominus, quamvis ingenti corporis mole, & viribus a natura contra eorundem hominum vires instru-

ſtructi, admirandum praebent ſervitutis ſpecimen, ſimulque ſpectatoribus oblectamentum. Etenim pedibus iſti, & toto perinde corpore erecti ſaltare, atque in gyrum agi ſub ductoris imperio ſaepe in publicis viſi ſunt compitis urbium noſtris, atque plateis; baculis deinde innixi progredi, pileum a capite ducere, & more noſtro adſentes ſalutationibus proſequi, corpus mira prorſus ratione, circulatorum inſtar, contorquere, aliaque perficere militum evolutionibus ſimillima: quae profecto omnia haud eorum propria, & uſitata fuiſſent, ſi ſuae tantum libertati conſulentes in ſpecubus montium, aut infra nemora latuiſſent. Nihil autem dicere attinet quantopere Brutorum animus variis hiſce exercitationibus torqueatur: ipſorum quippe lamentabiles voces, & quos edunt ſaepe clamores, atque inanes inſuper ad reſiſtendum conatus quid ſane ſibi velle portendunt, quam invita omnino ad eas functiones voluntate pertrahi, atque ingenti angore illa idcirco divexari? Nullum ergo diſcrimen intercedit, unde Bruta nec alienae vi, neque legibus ſubdi jure dicantur; ipſa quinimo multo deterius, quam homines pati ſoleant, Dominorum imperiis abſque judicio, omnique humanitate prorſus abjecta, mancipiorum aut damnatorum ritu plerumque gubernentur.

§ 230. Cur ipſis vero civiles leges non aeque ut hominibus ſervandae ſtatuantur, neque illa proinde infra politicum corpus cenſenda fore exiſtimaverint, qui omnem publica auctoritate jurisprudentiam condidere; cur iiſdem quoque ſupremi Numinis cumprimis cultus, & quaecumque ad illud ipſum ſunt ſacra, & caeremoniae

niae nequaquam proponantur, res eſt profecto, quae noſtrum plane excederet inſtitutum, ſi eam pro dignitate pertractare deberemus. Iſtiuſmodi, quas nunc attigimus, inter ſe confertae inquiſitiones plura quidem efflagitant, quae ſapientiores tradunt, eaque firmiſſimis demonſtrant argumentis, tum Metaphyſici, tum Theologi, tum Iuriſconſulti ſuperiorum, ac noſtrorum temporum ferme innumeri: a quibus tamen ſi ſummatim potiora delibaverimus, & jam pro munere noſtro heic ſatis ſuperque feciſſe putabimus, & iis etiam lucem conciliabimus, qui deinceps uberiori ſtylo de iiſdem forte erunt diſputaturi.

§ 231. Pervulgatum, ac celeberrimum primo Metaphyſicorum dogma eſt, ſubſtantias, quae de cogitantium ſunt genere, dum aliquid pro ſuae ſpiritalis naturae facultate agunt, ea perpetuo ſequi morum, ut ajunt, principia, quae ſunt, juxta ſcholarum effata, in ratione ſuarum notionum, ſive idearum, adaequata; atque eo ſe ſe deferri quodammodo ſinere, quo vergere ſuadet ipſa animi cogitantis virtus, ſive conſtitutio. Hinc rite inferunt illi, unicuique cogitanti pro ſuae mentis ſtatu definitam fore agendi rationem, atque inde ingeniorum omne, latiſſimeque patens diſcrimen petendum eſſe decernunt Ea eſt autem cuilibet adaequata idearum vis, quae ejuſdem cogitantis ſtatui reſpondet: quare qui majorem notionum nexum percipiunt, nec adeo arctis, ut alii plures, idearum inter ſe confertarum coercentur limitibus, amplioribus item viribus ad agendum diſtenduntur. Hoc ipſum inter hominum ſingulos haud raro uſuvenire quotidie cernimus,

quo-

quorum nonnulli ſtupido tardoque ingenio deſipientes pauca quaedam ſe ſe intelligere oſtendunt, eaque ita jejune, ut nonniſi eorum viciniores tantum connexiones hauriant, alii vero vel longiores cauſas rerum videant, conſequutiones pene innumeras, harumque invicem ordines plane aſſequantur, caeteroſque antecedant. Illud etiam ad rem noſtram pertinere jure ſuademur, ut alterum ſtatuamus aſſertum, cujus veritas tam Philoſophorum, quam Theologorum calculis confirmatur; nemini videlicet, niſi per ſummam vim ſupremamque injuriam colendarum legum neceſſitatem imponi cui neque earundem praeclara ſit dignitas & honeſtas, neque comperta videatur officiorum ſuorum ea cum legibus ipſis, quae vulgo proportio nuncupatur.

§ 232. Reſtat igitur ex hiſce brevi calamo animadverſis, ut germanis Philoſophiae praeſcriptis Brutorum ſpiritale ac operoſum caeteroqui ingenium a divinarum humanarumque conſtitutionum negocio omni quidem jure excipiamus, cujus tanta non eſt amplitudo, quanta in ſingulis viget hominibus, quibus ea omnia cuſtodienda praeſcribuntur. Iſti ergo conqueri immerito prorſus valerent, ſi forte adverſariorum noſtrorum objectis adſentirentur: ac propterea nec rei aequitas patitur ipſa, neque recta ratio ſuadet, ut & qui Brutorum libertati per vim profligandae ſtudent, morali, ut ajunt, legum neceſſitati ſubjiciant, & homines contra ab earundem obſervantia ideo jure debeant excipere, quod ipſa, quemadmodum homines iidem ſpiritali principio agantur, & vigeant. Haec quidem ſummatim. Multo

ma-

majora tamen disputanda contra propositam difficultatem supereſſent modo, ſi ex inſtituto omnem ſermocinationis hujuſce materiam exhaurire quodammodo voluiſſemus: quod quidem adeo nobis praecavendum videbatur, quantum Scriptori cuilibet eſt ſedulitate omnimoda connitendum, ne a propoſiti finibus nimium digrediatur, aut in aliena jura ſe immiſceat, quae vix pro re nata tractare deberet, rerum dicendarum ſolummodo neceſſitate poſcente.

§ 233. Nunc igitur ſingulis Commentariorum noſtrorum expletis Capitibus illud abſque ſermonis vitio praetermittere prohibemur, cujus ope in unum veluti centrum non inconcinno rationis ordine univerſa colligantur. Porro credibile cumprimis non eſt homines, qui ſaecula nobis cognita tota aeternitate praeceſſerunt, quum de Brutorum ſpiritali natura unanimi pene ſenſu diſſeruere, adeo vel antiquitatis vel communis ſapientiorum de iiſdem Bruris judicii, vel gloriae ſuae negligentes fuiſſe, ut non ea litteris conſignarent, quibus & ſuae, & ſuorum famae conſulerent, ſi non ſaniori, minuſque accurata philoſophia pro Belluarum ingenio, & ſimili cum hominibus natura calamum acuiſſent. Porro Sapientiſſimi Viri quales ab orbe pene condito ad uſque noſtra poſtrema ſaecula patefecimus Cap. I. nihil ferme habere antiquius potuerunt, quam illa funditus inveſtigare (ubi ingenio, litteris, & otio abundaverint) quae philoſophica animadverſione pluribuſque experimentis tota conſtant; quam vetuſtatis monimenta colligere, ſerioque perpendere majorum placita, eaque demum probare, & doctorum poſteritati committere.

Quae

Quae certe omnia perfeciſſe ſingulos Scriptores praeſumamus neceſſe eſt, quos juxta temporum rationem accurate laudavimus de Brutorum anima contra Peripateticorum nec non Carteſianorum dogmata ſcribentes. Sed quid ego iſta perſequor, aliaque exinde duobus elucubrata ſequentibus Capitibus Secundo & Tertio argumenta, quum minoris illa ſint ponderis, ſi cum reliquis comparentur, quae ab intima belluarum natura fuſe petivimus? Conſtat nimirum, belluas omnes in ſe habere quaccumque in organizata hominum machina ſenſus atque irritabilitatis dicuntur origines; quorum praeterea ea eſt ſtructura, & fibrarum facultas, ut ex animadverſionibus Georgii Baglivii inter utroſque viventes nullum intercedere poſſe idcirco diſcrimen facili negocio & attentione colligatur (§ 131. § 132. § 133.). Fibrarum itaque & muſculorum elateres, & ſemet contrahendi in utriſque poteſtas cum irritabilitatis robore mirifice conjuncta, quemadmodum corporis valetudini tuendae maxime proſunt, & ſingulis animalium, quae vitae dicuntur, functionibus opitulantur, ita etiam in eorundem animantium perniciem vertantur neceſſe eſt, quamprimum vel minimum aliquid molliſſimis, delicatis, & admodum irritabilibus fibrillis admoveatur, quod acre, & veneficum ſit quoquomodo (§ 137.) quae quidem tam late a nobis ſunt Capite IV. diſputata, ut ſupervacaneum quiſquis merito arbitraretur, ſi iterum propoſita jam, & ſatis demonſtrata quodammodo recocta hic lectoribus objiceremus. Si ergo ſenſum Brutorum anima tam in jucundis, quam in invitis corporis immutationibus percipit (§ 146.), ab eodem quoque

ha-

habere illa debet in se principio, ut sensu afficiatur ac immutetur, tum rerum omnium cognitione potiatur (§ 147.). Ab eodem igitur fonte, unde in belluis sensus dimanat omnis, non a praeclarissimi Wolfii argumentatione solum (§ 148.) verum etiam ab aequo, & legitimo rationis nexu proficisci debet cur dicamus, easdem sentire & cogitare simul, & intima etiam suarum cogitationum conscientia pollere: Istud autem cogitandi principium in Brutis omnibus spiritale esse omnino alibi ostendimus (§ 152. § 153. § 154. § 155.). Eorum propterea spiritale vere esse ingenium sive animam asseramus oportet, quae percipere quamplura (§ 214. § 215. § 216. § 217.) quae de perceptis judicare (§ 218. § 219. § 220. § 221.) quaeque demum ex utrisque inferre alia multa sive hominum more ratiocinari (§ 223.) non admodum jejune differuimus quantum Commentariorum necessitas cum sancita brevitate copulata expetere, & sibi jure veluti proprio vendicare videbatur. Nihil ergo mirum sapienti cuipiam erit profecto futurum, si doctiores homines abditioris philosophiae luce perfusi, & ii etiam nostrorum temporum (nedum retroactis saeculis celebratissimi & naturae totius scientia praestantissimi) qui nobiscum saepe hac de causa, tum de aliis permultis colloquuntur, hoc unum ipsum firma amplectantur persuasione, quod venerandae Majorum nostrorum meritò placuit antiquitati, quod constantissimis in universa Brutorum opera animadversionibus mirum in modum cohaeret, quod demum vel ipsi altioribus mysteriis, & scientiarum institutionibus destituto vulgo adridere & probatis-

tiſſimum eſſe videtur, quum inter Bruta verſatur quotidie varii generis, eaque vel ad ſolatium, vel ad opem, vel ad lucrum arte & patientia inſtituere conatur. Quid nam quaeſo de iiſdem vel agreſtior exiſtimare videtur plebecula, quum ſaepe ea alloquentia ſibi tot ſignis intuetur, quum eorum aſtus, affectus, aliaque infinita pene planeque miranda contemplatur, quae vel rudiorum hebetiorumque hominum viſum praeterire non poſſunt? Ita cum iiſdem agere ipſa apparet, ac ſi cum caeteris hominibus miſceretur ſibi ſimilibus, quibus ingenium & cogitandi latiſſimam eſſe facultatem ex intima ſuarum operationum mentis conſcientia nullatenus dubitat.

Haec hactenus elucubrata eò demum ſpectare nobis modo viſa ſunt, quò cudendi Operis totius noſtrum ferebatur conſilium, quum horis tantum ſubſecivis pro ſpiritali Brutorum Anima Commentaria haec ad unguem perducere potuiſſe cogitavimus. Illud unum nos recreat, eorumdem ope celeberrimae huic, perfectae jam, diſputationi caeteris nos aditum philoſophis aperuiſſe, unde meliora multo ad Litterariae Reipublicae commodum deinceps afferantur in lucem omnium, ſi forte haec non tam bene elaborata, expolita ſint, atque illuſtrata, quantum rei gravitas, atque difficultas expoſcere per ſe ſe videbatur.

FINIS.

IN-

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

Peripateticorum circa Belluarum animam ſententia cum unanimi omnium Philoſophorum conſenſu comparatur, qui eam ſpiritalem eſſe conſtanter faſſi ſunt.

CAPUT II.

Totius humani generis omnium temporum ſuffragatur conſenſus, quum de immateriali Brutorum cognitione inſtituitur inquiſitio.

CAPUT III.

Quid iis praeſtandum eſſet, qui Belluarum animam omni ſenſu, & ratione carere vellent dilucide demonſtrare.

CAPUT IV.

Brutorum operationes, & quae ipſorum animales dicuntur functiones cum germanis ſenſus, atque irritabilitatis notionibus univerſis receptis conferuntur; atque inde ad adſtruendum eorundem ſpiritale principium progreditur Oratio.

CA-

CAPUT V.

Quaecumque a Brutis eduntur ſigna vocibus, ejuatibus, aliiſque doloris aut voluptatis argumentis veram in ipſis ſenſationem fieri decernunt.

CAPUT VI.

Brutorum phantaſia, memoria, de rebus perceptis judicium, & argumentatio eandem conficiunt demonſtrationem, quae omnem Commentariorum rationem abſolvit.

EXCUDEBAT FLORENTIAE
CAJETAN. CAMBIAGI REGIUS TYPOGRAPHUS
ANNO MDCCLXXVI.

PRAESIDUM FACULTATE.

Errata.	*Corrige.*
Pag. 29. verſ. 24. progreſſus Idolatriae	progreſſu Idololatriae
Pag. 37. verſ. 25. artificioſa	artificioſa
Pag. 53. verſ. 17. deineeps	deinceps
Pag. 67. verſ. 21. ſubjiciunt	ſubjiciuntur
Pag. 75. verſ. 1. exornatum	exoratum
Pag. 76. verſ. 5. infectetur	infectetur
Pag. 121. verſ. 28. non fiunt	non fiunt?
Pag. 139. verſ. 13. ventientis	ſentientis
Pag. 144. v. ultim. quolibet	quilibet
Pag. 176. verſ. 18. rapucium	rapacium
Pag. 199. verſ. 18. § 71.	§ 72.
Pag. 205. verſ. 12. ilia	illa
Pag. 233. verſ. 28. ea,	, &
Pag. 240. verſ. 25. greviſſima	graviſſima

cc osnb.
(2541)
43750